regnasse scribit Darium natione Medum, qua tempestate Medis Astyages regnabat. Quod postremum tametsi falsum est. (Neque enim Astyages ampliùs regnabat, si quinque ferè annis antea victus à Cyro fuerat:) apparet tamen ex Sulpitii auctoritate, Darium illum non fuisse Astyagis filium, Medorúmve regem: tum quem Nabonidum Berosus vocat, esse Darium Medum. Consentit & imperii utrobique tempus. Berosus Nabonido XVII. annos assignat; Sulpitius uno ampliùs. Ex iisdem denique vetustissimis Scriptoribus corrigendus
Pag. 48. est Herodotus, qui lib. I. Labynitum Labyniti & Nitocridis F. vocat eum, quo regnante Babylonem Cyrus occupavit. Labynitus prior, & posterioris pater Nabuchodonosorus fuit, ut ex iis apparet, quæ de Cyaxare & Alyatte suprà discussimus. Siquidem ambos istos reges Labynitus ille inter se conciliavit eodem anno, quo Nabuchodonosorus exortus est. Posterior verò Labynitus videtur esse Nabonidus; qui Nabuchodonosori neque filius, neque verò propinquus fuit; ut iidem Scriptores asserunt; à quibus prudenter dissentire non possumus.

CAPUT X.

Explicantur quæ contra superiorem sententiam à Chronologis, & sacrorum librorum Interpretibus objiciuntur. Ruffini vehemens hallucinatio.

HÆc de Nabuchodonosori successoribus, déque Dario Medo, ac Nabonido sententia meritò ab Scaligero recepta est, & ab eodem explicata fusiùs, præsertim in lib. VI. de Emendatione Temporum, & in Appendice. Nihil enim opinione ista verisimilius; nihil ad sacræ historiæ ac profanæ concordiam aptius, ac præstantius excogitari potest. Quo magis admiror, nondum illam Chronologis nostris, ac sacrorum librorum Interpretibus probari potuisse. Atqui levia sunt, explicatúque facillima quæ ab illis opponi ex adverso solent; neque talia sunt, ut prudentis alicujus animum vehementi dubitatione pulsent.

Pererii contra sententiam nostram argumenta.

Multa quidem ad illam oppugnandam Pererius noster lib. VII. comment. in Danielem attulit; quorum præcipua sunt ista capita. Quòd Laborosoarchodus, quem nos Baltassarem esse volumus, novem tantùm mensibus imperasse dicatur ab illis ipsis, quorum testimonio nitimur: Baltassar autem tertium annum saltem attigerit, Dan. VIII, 1. Quòd Hieremiæ XXVII. promiserit Deus daturum se Nabuchodonosoro amplissimum regnum; nec solùm ipsi, sed & filio ejus, & filio filii ejus. At Laborosoarchodus Nabuchodonosori filia, non filio genitus est. Quòd Darius ille peregrinæ originis, hoc est Medus fuerit, Nabonidus autem Babylonius, & superioribus Chaldæorum regibus gentilis. Quòd numquam Babylonii in Medum, externúmque sceptra transferrent: præsertim cùm Nitocris regina Labyniti prioris uxor, & posterioris mater, ut scribit Herodotus, jàmdudum suspectam habens Medorum potentiam, Babylonem communisset, & ad resistendum sese comparasset. Postremò, Isai. cap. XIII. & Hierem. cap. LI. ubi de Babylonis eversione Prophetæ vaticinantur, satis indicant, solis ab Medis oppugnandam esse, cùm Persarum mentionem nullam faciant.

Quæ singillatim omnia dissolvuntur.

Hæc ferè Pererius, quæ quidem è superioribus haud difficilè solvuntur. Primùm quòd ex Hieremia nobis objicitur de filio filii Nabuchodonosori, ita potest explicari: ut בן pro filia, id est prole simpliciter usurpetur. Latè enim interdum accipitur, ut generum etiam significet, I. Reg. XXIV, 17. Quare hoc unum Hieremias voluit: Nabuchodonosori posteros usque ad nepotem ipsius regnaturos esse, quem vel filiæ, vel generi filium nominat. Mortuo quippe Evilmerodacho, Neriglisarus Nabuchodonosori gener, pro filio suo Baltassare, sive Laborosoarchodo, imperium tenuit, ejúsque nomine res administravit annis quinque; qui Baltassari à Daniele tribuuntur: à Beroso verò, Neriglisaro; quòd is tametsi regni administrator esset, omnia pro arbitrio tractaret. Nam quòd puer Laborosoarchodus vocatur: nimirum pueri vox latiùs accipitur, pro ephebo, vel adolescente; ut sæpè aliàs usuvenit. Ad Darium quod attinet, fuit is oriundus à Medis: sive pater ejus è Media migravit in Babyloniam; sive majores ipsius. Ac Berosus quidem Nabuchodonosori conjugem Medam fuisse scribit: in cujus gratiam, quod in montana regione nata, educatáque foret, montium, silvarúmque in regia similitudinem admirandis operibus expressit. Est igitur haud absimile vero per idem tempus cum regina Medos quoque principes aliquot se in Babyloniam infudisse, inter quos fuerit sanè Darii Medi pater Assuerus; qui filium Babylone genuerit, Medum propterea cognominatum.

Ruffini supinus error.

Sed animadvertendus est Ruffini, ut in aliis plerisque, sic in horum fragmentorum interpretatione, supinus error; qui Pererio fraudi fuit. Cùm enim Berosus de Nabonido scripsisset, ἔνθ' ὁν ἡ αὐτὸς ὑπεισελθοῦσα, ut est apud Eusebium lib. IX. de Præparat. hoc est, *ex eadem conspiratione;* cùm apud Josephum corruptè scriptum sit ὑπεισέσως, Ruffinus in sua Josephi depravatione solemnia delirans vertit, *ex eadem gente;* quasi ὑπείσιος *gentem* significet. De Nitocride quæ scribit Herodotus, ea ante tempora illa Baltassaris contingere potuerunt; sive vivente adhuc Evilmerodacho, sive Neriglisaro imperium administrante, cujus illa conjux fuisse videtur. Hæc igitur ipsa pariter cum viro pro filio regnum administrans Babylonem communiit, & adversus Medos sese comparavit: quod Nitocridi Nabuchodonosori, sive Labyniti filiæ, hoc est Neriglisari conjugi, & Baltassaris matri aptiùs quadrat, quàm ejusdem Nabuchodonosori conjugi; quæ utpote à Medis oriunda gentiles suos haud adeò suspectos habuisset. Ad extremum quòd Isaias, & Hieremias Babylonem à rege Mediæ vastatam prænunciant; de Cyro, Persisque potest accipi. Cùm enim Medorum res, & potentia in Persicum imperium confluxissent, unúmque ex ambobus conflatum esset regnum, Medi pro Persis non rarò sumpti sunt. Ita vulgò Xerxis expeditio Medica tam à Græcis, quàm à Latinis appellatur, & Persæ ipsi Medi. Juvenalis Sat. I.

——— *epotáque flumina Medo*
Prandente.

& Μηδισμὸς à Thucydide Persica factio nominatur.

CAPUT XI.

De Pisistrato Atheniensium tyranno, Solone, Periandro Corinthio atque Cræso. Herodoti error, & Eusebii.

HORUM omnium tempora unum in caput conjecimus, quòd sese invicem illustrent, atque ad Herodoti περιηγησμὸς detegendos inter se comparanda sint.

Pisistratus ter omninò tyrannidem Athenis arripuit. Primò cùm in ea urbe Solon esset: quando callidè satellites clavigeros expressit à populo, quibus fretus arcem occupavit. quod Herodotus lib. I. pag. 14. refert; & in Solone Plutarchus. Sed non multò pòst à Megaclis, & Lycurgi militibus dejectus est, μετ' οὐ πολὺν χρόνον, &c. ait Herodotus. Secundò igitur reconciliato nuptiarum Herod. pag. 15.
pactione Megacle, stolidissimo commento tyrannidem recuperavit, subornata in Minervæ speciem fœmina, quæ ipsum in arcem introduxit. Pòst ejusdem factione Megaclis excidit, atque Eretriam concessit. Tum pecuniis, & auxiliis undique contractis, Δι' ἑνδεκάτου ἔτους *post* XI. *annos*, tertiò demum in tyrannidem restitutus est, quam & perpetuò retinuit.

Mortuo Pisistrato, tyrannidem Hippias tenuit, natu major, uti lib. VI. Thucydides scribit. Hujus frater Hipparchus longè illo moderatior, & humanitatis etiam litteris excultus, ab Harmodio & Aristogitone interfectus est. Hippias anno deinde quarto à Lacedæmoniis, & Alcmæonidis pulsus ad Darium Hystaspis F. confugit; cujus in exercitu anno postea vicesimo ad Marathonem contra suos conflixit. Hæc disertè Thucydides: quibus Herodoti suffragatur historia. Eusebius in Chronico anno tertio Olympiadis LIII. refert Pisistratum Athenienſium tyrannum in Italiam esse transgressum. Si id verum est, post secundam ejectionem contigit, quando XI. annos in apparatu posuit. Quocirca primæ tyrannidis initium aliunde quærendum est. Ad id verò præstantissimus nobis scriptor præit Aristoteles, qui lib. V. de Repub. cap. XII. bis ait fugisse Pisistratum, adeò ut ex annis XXXIII. septemdecim dumtaxat tyrannus fuerit; filii autem ejus octodecim. Ita fiunt in totum anni

anni XXXV. Δὶς γὰρ ἔφυγε Πισίστρατος τυραννοῦν ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν ἐπτακαίδεκα ἔτη τῶν ἐτυραννοῦσεν· ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖδες, ὥστε τὰ πάντα ἐβδόηκοντα ἔτη τριάκοντα καὶ πέντε. Illustris locus: cujus beneficio obscurissimæ sanè historiæ lux affulget. Triginta tres annos ab exordio occupatæ tyrannidis, ad Pisistrati mortem computat Aristoteles. ex iis XVII. à tertia restitutione ad obitum Pisistrati. inde ad Pisistratidarum fugam, anni octodecim. Porrò ex Thucydide constat Pisistratidas ejectos esse anno XX. ante Marathoniam pugnam. Ea verò incidit in annum Periodi Julianæ 4224. uti lib. X. cap. XXII. docuimus. tertium videlicet Olymp. LXXII. Igitur anno 4204. sive tertio Olymp. LXVII. pulsus est Hippias. Ita anno Periodi Julianæ 4186. hoc est annis antè XVIII. Olymp. LXIII. anno secundo Pisistratus obierit. Demptis inde triginta tribus annis, initium occupatæ tyrannidis convenit in annum 4154. aut antecedentem. Igitur anno primo Olymp. LV. sub idem tempus, quo Cyrus Medorum imperium evertit, Pisistratus patriæ libertatem oppressit.

Eusebii error.

Hinc apparet Eusebii περιηγησμὸς, qui anno tertio Olymp. LIV. posterioris exilii tempus assignat; cùm nondum omninò tyrannidem esset adeptus. Sed nescimus quantum in priori, vel posteriori annorum habuerit. Illud ex Aristotele didicimus, triplex illud tyrannidis tempus XVII. annos efficere. Sanè perbreves priores duas fuisse, ex Cræsi tempore pòst paullò demonstrabitur: hoc est unum dumtaxat annum integrum occupasse. Sed de priori videamus.

Scribit Plutarchus in calce vitæ Solonis, Pisistratum Comia Archonte dominari cœpisse: Hegestrato verò Archonte, qui Comiæ successit, obiisse Solonem. Sigonius Comiam imputat anno tertio Olympiadis LIII. Hegestratum anno quarto. At qui librum de Archontibus nuper edidit, Sigonium redarguit, & anno primo Olymp. L. Comiam Archontem; sequenti Hegestratum assignat, quo & mortuus est Solon. Nititur verò Ano-
Pag. 317. Euseb. nymi Scriptoris auctoritate, quem Scaliger in Thesauro temporum sub hoc titulo edidit, Γενεαῖν συναγωγή. Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή. Putavit hunc auctorem è veteribus esse quempiam, quem Scaliger in lucem emiserit. Atqui collectanea ista Scaligeri sunt, qui in calce Anim-
Pag. 268. adversionum suarum ita loquitur. *Postremò συναγωγὴν ἱστορικὴν à nobis partim ex editis, partim ex nondum editis Scriptoribus collectam, &c.* Frustra itaque Anonymus ille passim pro antiquo citatur, & quod minimè tolerabile est, etiam classicis auctoribus antefertur. Sed hæc obiter. Jam ex iis, quæ Aristoteles nos docuit, evidens est cùm Sigonium errare, qui Solonis obitum ante primam tyrannidem Pisistrati collocarit: tum multò magis alterum, qui in annum primum quinquagesimæ Olympiadis rejecerit. Etenim anni XXXIII. ab initio occupatæ tyrannidis ad obitum Pisistrati numerandi sunt. Hinc est quod Heraclides in Excerptis de Rebusپublicis, asserit Pisistratum XXXIII. annis tyrannidem tenuisse. Justinus verò XXXIV. qui & in reliqua Pisistratidarum historia labitur, dum Dioclem eum nominat, qui Hipparchus est, & aliter rem narrat.

Solonem Pisistrato tyrannidem gerente aliquamdiu fuisse superstitem, nemo dubitat. Eumdem etiam in Lydiam ad Cræsum venisse, non minùs constat. Tametsi non defuerunt, qui ex certa ratione temporum, illius historiæ, colloquiíque fidem elevarent, ut Plutarchus
Pag. 7. asserit. Verùm id Herodotus lib. I. memoriæ prodidit. Qui quidem scribit Cræsum, postquam Sadyatte patre mortuo regnum suscepit, penè omnem Asiam armis occupasse. tum ad ipsum constituto jam imperio pace, opibúsque florentem, insignes quosque Sophistas è Græcia venisse: in iisque Solonem Athenienſem. Addit hunc post leges Athenienſibus editas, decem sibi annorum peregrinationem imposuisse, quo intervallo Sardes ad Cræsum sese contulit. Hujus peregrinationis meminit & Plutarchus. Diogenes Laërtius post susceptam à Pisistrato tyrannidem, peregrè profectum Solonem memorat, & in Ægyptum, Cyprúmque navigasse; nec non ipsum Cræsum adiisse. Quin & Pisistrati ad eum litteras refert ad reditum hortantis, & Solonis id recusantis alias. Quæ omnia Plutarcho valdè repugnant. Is enim propemodum decrepito Solon Pisistratum patriæ dominatum invasisse testatur, annóque postea Solonem excessisse. Gellius quoque lib. XVII. cap. XXI. scribit Solonem voluntarium in exilium abiisse, postquam Pisistratus tyrannidem obtinuit. Equidem ut conjecturâ potissimùm agatur, Solonis peregrinationem arbitror longè ante Pisistrati tyrannidem aceidisse, postquam leges Athenienſibus tulit: Cræsum autem vivo adhuc parente, ad communionem regni vocatum Asianas illas expeditiones obiisse; cùm & ætate provecta jam parens esset: (Annos enim septem & quinquaginta regnavit) & ille gerendis rebus idoneus. Siquidem annos XXXV. natus erat, cùm pater ejus obiit. Cræsus à Cyro superatus est anno XL. post Olympiadem XLIX. ut Sosicrates apud Diogenem in Periandro narrat, qui est annus Periodi Julianæ 4170. Ad hæc testis est Herodotus, Cræsum cùm efferentem sese Cyri Persarúmque potentiam suspectam haberet, bellum adversus illos molientem omnia circumspectasse populorum auxilia: ac de Athenienſibus ita illi renunciatum esse, tertiò jam ipsos Pisistrati armis, ac dominatui cessisse. Itaque sub idem ferè tempus, quo Cræsus contra Persas exercitum parabat, Pisistrati de Alcmæonidis victoria, & tyrannidis recuperatio contigisse videtur: uti pag. 15. significat Herodotus. Quocirca si, ut ex Aristotele ratiocinabamur, sub annum Periodi Julianæ 4169. Pisistratus tertiò in dominatum restitutus est, eodémque tempore Cræsus in apparatum bellicum intentus erat, verisimile est, anno 4170. eumdem in Cyri potestatem venisse. Unde & post patris obitum inierit, anno 4156. Nam XIV. annis regnum tenuit. Deducantur nunc ex anno 4169. quo Pisistratus tyrannide potitus est, anni XI. consequens est anno ipsum 4158. id est primo Olympiadis LVI. secundò fuisse dejectum. Proinde cùm à tertiæ tyrannidis exordio, nempe ab anno 4169. ad ejusdem obitum, qui incurrit in annum 4186. anni interjecti sint solidi XVI. necesse est ad XVII. complendos, quot integro dominatui præfinit Aristoteles; unicum dumtaxat ex duplici tyrannide priore confici. Quare anno exeunte 4155. expulsus, anno 4157. restitutus, ac rursus anno 4158. exactus urbe undecim annos exulavit.

De Solonis obitu libens in Plutarchi sententiam concesserim; & anno 4155. Olympiadis LV. secundo mortuum esse crediderim, altero quàm Pisistratus tyrannidem obtinuit. Porrò epistola Solonis ad Pisistratum quasi ab absente data, quam habet Diogenes, supposititia videtur: ut & aliæ quædam ab eo auctore descriptæ: quas exercendi styli, & ingenii causâ, ut assolet, nonnulli confinxerunt. Itaque Comias Archon, me quidem fautore, incidit in annum primum Olympiadis LV. Hegestratus in secundum.

Hic est, nisi fallor, Hegestratus ille Pisistrati spurius, quem Pisistratus Sigei tyrannum constituit: ut scribit Herodotus lib. V. Etenim Pisistratum ait Sigeum à Mi- Pag. 204.
tylenæis eripuisse, atque Hegestratum filium tyrannum ibi collocasse.

Quo quidem in loco magnopere fallitur Herodotus, & illius temporis historiam gravissimè conturbat. Subjicit enim, Hegestratum quem acceperat à patre dominatum non sine armis retinuisse, ac diu Mitylenæos & Athenienſes de illius oppidi possessione certasse: quos tandem Periander Cypseli filius compromissarius arbiter inter se conciliavit. Quæro qui tum potuerit superstes esse Periander, quem ante multos annos obiisse constat eodem ex Herodoto. Quippe lib. I. scribit Ly- Pag. 5.
dorum regem Alyattem anno quinto regni sui bellum, quod cum Milesiis sex annis pater ipsius Sadyattes, quinque autem ipse gesserat, pace commutasse; cùm Periander Cypseli filius Corinthi tyrannus Thrasybulum Mileti tyrannum de oraculo, quod Alyatti editum fuerat, monuisset. Alyattes, ut Herodotus testatur, annis LVII. regnavit. Periander, si Diogeni Laërtio credimus, annis XL. vel, ut Aristoteli potiùs assentimur, XLIV. Non potuit igitur ad Pisistrati tempora pervenire: præsertim cùm & Olympiade XXXVIII. dicat illum claruisse Diogenes, & mortuum anno uno ante Olympiadem XLIX. Sic enim Sosicratis apud Diogenem verba rectè quidam explicant. Σωσικράτης δέ φησιν πρότερον Κροῖσον πολιορκῆσαι αὐτὸν ἔτεσι πεντήκοντα, καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐνιαυτῆς Ὀλυμπιάδος. *Sosicrates porrò refert ipsum quadraginta ante Cræsum annis obiisse, uno verò ante Olympiadem* XLIX. Ibi πρὸ Κροῖσον, idem est atque ante Cræsi calamitatem. Annus primus Olympiadis XLIX. est Periodi Julianæ 4130. Ergo & anno 4129. mortuus est Periander, & 4170. Cræsus à Cyro captus. Exstat ejusdem epistola Periandri ad Sapientes, qua ipsos rogat Corinthum

Corinthum ut ad se veniant, quemadmodum anno præterito Sardes apud Lydiæ tyrannum convenerant. Non potest is esse Cræsus, sed Alyattes. Qui fortassis in pueri Cræsi gratiam florentes tum in sapientia viros acciverit. Erat enim, cùm Periander obiit, natus annos IX. circiter Cræsus: qui eodem anno, quo Solon Atheniensium Remp. ordinabat, in lucem est editus, nimirum tertio Olympiadis XLVI. Atqui Plutarchus paullò pòst legum lationem peregrè Solonem abiisse memorat, quam peregrinationem decennalem fuisse refert Herodotus. Præclarè igitur secum historia consentiet, si hoc ipso intervallo Solonem dixerimus cum reliquis sapientibus Sardes ad Alyattem venisse: ac rursus adulto jam Cræso, & cum patre regnum administrante eòdem aspirasse, quando & memorabile cum eo colloquium illud habere potuit.

Vixit Solon annos, ut scribit Diogenes, LXXX. Natus est ergo anno 4075. Olympiadis XXXV. primo, vel secundo: eodémque, vel altero quàm Thales ortus fuerat.

Ex iis ordinanda sunt, quæ ex Eusebii auctoritate de Lydorum regno capite V. lib. X. constituimus. Nam ille Cræsum captum à Cyro statuit anno I. Olympiadis LVIII. Probabilius verò est id anno I. Olympiadis LIX. contigisse. Unde Gygis initium anno 4000. Periodi Julianæ, & tricesimæ nonæ Olympiadis primo tribuendum est. Ardysi verò primordium anno 3921. tribuendum, qui est XVIII. ante primam Olympiadem.

CAPUT XII.

Illustratur eadem illa sententia discussis argumentis, quæ contra nos eruditus vir nuper explicavit.

DE Dario Medo, déque Nabuchodonosori successoribus hæc ex nostra, & Scaligeri sententia jam in commentariis ad Danielem Prophetam exposueram; quos ego superiore in Scholis anno dictabam; cùm eadem ipsa subinde ab erudito viro è nostris illis excepta, & quomodo potuit refutata cognovi. Plenum hujus admirationis argumenti me species ipsa totam ut illius Diatribam legerem induxit. Profectò enim novum aliquod inventum; rarum, exquisitum, nondum hactenus auditum Θηκυείημα, firmam denique rationem aliquam allatum iri sperabam, quæ penitus insitam de Dario Medo sententiam nobis eriperet, & vulgarem alteram validiùs comprobaret. Ecce autem nihil ferè illic argumenti reperi, quod à Pererio, ceterisque Chronologis, aut Danielis Interpretibus prætermissum fuerit, quódque videlicet molestum nobis, aut insolubile videatur. Itaque nihil me magis pristina in sententia confirmavit. quam ut erudito illi, nostrique studioso penitus approbem, minùs necessariam rem faciam, ut præcipua disputationis illius capita & argumenta perstringam.

Primum eruditi Scriptoris argumentum solvitur.

Primus ad labefectandam opinionem nostram aditus ab elevanda Berosi fide, & auctoritate sumitur, quem cum sacris litteris pugnare illa ipsa in historia contendit, quam ex ejus fragmentis defendimus. Magna vis argumenti; quæque sola ad conficiendum negotium idonea sit; si quidem vera colligit. Quid igitur Berosus Scripturæ contrarium scripsit? A Nabuchodonosoro ad finem imperii Babylonici annos tantùm sex, & sexaginta numerat, cùm ex sacris libris novem & octoginta desiniantur. Qui tandem? Nempe à quarto Joakimi, id est à primo Nabuchodonosori ad ultimum Sedeciæ, anni sunt XIX. Inde ad finem Babylonici regni, Cyrique primordium anni LXX. quibus desolationis celebre illud intervallum continetur. Prima ista ratio falsum, aut saltem dubium pro concesso accipit. Neque enim damus illud; annos LXX. desolationis ab excidio Urbis ac Templi, ad Cyri primordium extendi; sed à primo Nabuchodonosori, & quarto Joakimi: neque desolationis intervallum septuagenarium à septuagenaria captivitate distinguimus; ut illius auctor argumenti sibi persuadet. Quæ autem Scripturæ testimonia in suam rem protulit, ea cùm de LXX. annis illis agemus, interpretabimur.

Urget prætereà amicus ille noster Hieremiæ locum cap. XXVII, 7. ubi dicit servituras dicit nationes omnes Nabuchodonosoro, & filio ejus, & filio filii ejus. quibus ex verbis invidiam Beroso, iisque, qui Berosum hac in parte secuti sunt, facit; quòd reges quinque pro tribus contra sacrorum librorum auctoritatem constituant. Hæc adversus Josephum, D. Hieronymum, atque ex recentioribus Augustinum Torniellum querela comparatur; qui omnes Baltassarem quintum à Nabuchodonosoro numerant; utpote quem cum Nabonido confundant. Quod etsi perperam, & contra Berosi, ac Megasthenis fidem sentiunt; quandoquidem, & quartus à Nabuchodonosoro, non quintus ex illorum auctoritate debet esse Baltassar; & à Nabonido longè diversus est: tamen ex hac ipsa auctorum illorum sententia patet, non tam præfractè Hieremiæ accipienda esse verba, ut filius filii sit à Nabuchodonosori filio Evimerodacho genitus; * cùm filii nomen pro nepote sumi ad illum Hieremiæ locum Hieronymus affirmet. Ex iisdem porrò Scriptoribus Berosi, ac Megasthenis auctoritas asseritur, quam tantopere ille contemnit, quámque Scripturæ contrarium affirmare non veritus est. At opinor irasci nobis ne ipse quidem debet, si plus Josephi, Hieronymi, & aliorum testimonio veterum, ut de Torniello, ac recentioribus ceteris nihil dicam, quàm ipsius judicio tribuamus. Berosum ecce Chaldaïcis in rebus, & hac, qua de agitur, historia ducem auctorémque sequi se profitetur Josephus: Josephum cum illo Hieronymus: Ab Josepho & Hieronymo reliqui deinceps mutuati sunt. Quid agimus? aut cui potiùs, ac tutiùs inhæremus, quàm illi ipsi Beroso; & iis Berosi verbis, à quibus totam se illam historiam deprompsisse præcipui illi Scriptores ostendunt? Quocirca si quid aliud in Berosi verbis deprehendi à nobis potest, quàm quod Josephus, & Josephum secuti animadverterint ceteri, manifestum est, id quod Berosus revera dixerit amplectendum magis esse, quàm quod illum dixisse per errorem, & hallucinationem alii putaverint, qui non alium quàm Berosum illius sibi auctorem historiæ proponunt. Consulantur jam Berosi verba, quibus Josephus, & Hieronymus nituntur. Nihil tam evidens est, quàm Laborosoarchodum ultimum è stirpe Nabuchodonosori Baltassarem esse; Nabonidum verò peregrinæ stirpis hominem, cui Cyrus in Babylonicum imperium successit, Darium esse Medum; qui in eodem Babyloniæ regno successorem habuit Cyrum, ut ex Daniele constat. Cùm illius historiæ τὰ καιρῷ πάντα mirificè apud Berosum cum Daniele consentiant, quid in reliquis tricamur; si quid fortè vel minùs consentaneum, vel explicatu difficilius adsperserit, quod ad rei summam non pertinet?

Cedo quàm voles gravem & accuratum è profanis Historicum; qui eamdem, quæ in sacris libris prodita sit, rei gestæ narrationem attigerit; neminem reperies, qui non multa aliter atque in scripturis traduntur identidem immisceat. Ea prudentes Annalium conditores, aut Interpretes, quantum fas est, comiter interpretari, & ad scripturæ sensum inflectere student; nec ipsi nisi manifestè pugnantia sint, damnare, & falsitatis arguere solent. Cur non igitur idem in Beroso, ac Megasthene tentemus, antequam indicta causa censura nostra, & sententia percellentur? Pauca sunt enim ac levissima, quæ in illorum fragmentis à Daniele dissidere videntur, quæ & ipsa nihilominus commodè aliqua declaratione ad Prophetæ partes haud invita trahuntur. Sanè nihil doctus ille vir contra nos adduxit, quod mediocriter harum rerum intelligentem commoveat. † Filius, inquit, filii, id est nepos Nabuchodonosori vocatur Baltassar. Respondet pro nobis Hieronymus filii vocem propria strictáque significatione non semper accipi; atque ipse quidem filium dici Baltassarem pro eo quod est pronepos existimat; & pro tribus, quinque reges Babylonios percenset. Nos filium appellari eum qui sit gener; vel filii vocabulo filiam quoque censeri non absurdè

Alterum idemque Hieremiæ

Baltassar cur filius dicitur Nabuchodonosori.

* Emendavit in suo exemplari *Petavius*: cum patris nomen pro proavo sumi ad C. V. Danielis *Hieronymus* affirmet.

† Sic 2. Par. XXII. Athalia dicitur filia Amri, quæ ejus erat neptis. *Theodoretus* Quæst. LVII. in Gen. pag. 46. ὅπου δὲ τὰς ὀνόματος ἡμᾶς δεῖ λέγειν οἱ πάππους καὶ τὰς μητέρας λαμβάνουσι. *Petavius.*

absurdè defendimus; & Prophetæ vaticinium planè ac simpliciter accipimus, ut serituras dixerit Nabuchodonosoro gentes, & filio ejus Evilmerodacho; tum Baltassari, qui filius fuit filiæ Nabuchodonosori, vel filii ejus, id est generi. Nerigliſarus enim Laborosoarchodi, id est Baltassaris pater, Nabuchodonosori gener filii nomine adhuc impuberis regnum, uti dictum est, administravit. Ponamus Baltassarem quando Evilmerodach mortuus est, duodennem fuisse. Cùm nondum per ætatem tractandis amplissimi regni gubernaculis, & à vicinorum Medorum potentia tuendis finibus idoneus esset, Babyloniorum consensu Nerigliſarus cum Nitocride conjuge Nabuchodonosori filia, & paterna commendatione populo gratissima, pro puerulo regnum administrarunt annis quinque. Hos ipsos annos Berosus ac Megasthenes imputant Nerigliſaro; Daniel aut omnes, aut duos saltem ex illis Baltassari tribuit. Quippe tertius ab illo Baltassari annus enumeratur: ut verisimile sit; Baltassarem tribus annis sub parentum tutela delituisse, duos autem reliquos superstite adhuc Nerigliſaro per sese regnasse: novem denique menses, quibus patre mortuo imperasse traditur, ad tertium illum annum referri, cujus mentionem facit Daniel. Quid in ea concordia sacræ profanæque historiæ non tolerabile? quid non usitatum aliàs? quid adeo severè notandum, damnandúmque reperies? Multas, cùm oppressus est Baltassar, uxores & concubinas habuit. Quidni octodecim annos natus pellicum grege jam implicatus esset; cùm aliquantò juniores hodie Barbarorum, Turcarúmque principes in numerosa concubinarum & uxorum caterva volutentur?

Aliud ejusdem argumentum explicatur.

At Laborosoarchodi & Baltassaris dispar admodum exitus fuit. Siquidem ille, *quòd malis esset moribus ab amicis exstinctus dicitur; ut Berosus affirmat: iste illa ipsa nocte, qua epulabatur, civitate à Persis ac Medis occupata interfectus est; ut Daniel haud obscurè significat; confirmat Hieronymus; affirmat Xenophon; favet etiam Hieremias.* Hoc verò commentitium est, ac præter Danielis mentem ad historiam adtexitur, eâdem nocte, qua supremas illas epulas celebravit Baltassar, Persas ac Medos irrupisse. Verba Danielis cap. V, 10. *Eadem nocte interfectus est Balteassar rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.* Non dicit eâdem nocte Persas ac Medos Babylonem occupasse, sed Darium genere Medum successisse, vel, ut in Chaldaïco legitur, *accepisse regnum.* Est enim קבל מלכותא *ἐδέξατο τὴν βασιλείαν*, quod ipsum indicio est, non vi exortum esse, neque hostiliter occupatum, sed consensu delatum, & à Dario susceptum.

Quod autem Hieronymum, & Xenophontem nobis objicit; cur non ipse suos illos auctores sequitur? cur ab iis quando libitum est impunè discedit? Hieronymus quintum à Nabuchodonosoro Baltassarem ex Berosi auctoritate numerat; amicus noster dumtaxat tertium; & Berosum idem exagitat, ac repudiat. Xenophon Cyaxarem Astyagis filium ne pedem quidem intulisse Babylonem, ne dum ibi regnasse, scribit; neque obsidioni urbis interfuisse. Noster Darium cum Cyro urbem obsedisse, & in ea regnasse scribit. Xenophon præterea Cyrum domi & in lecto suo inter filiorum & amicorum complexus placidè mortuum esse refert. cur ab illo noster recedit? cur Herodotum ac Justinum audit potiùs, quàm gravem illum laudatúmque Scriptorem? Quis hoc illi permisit, ut ex istorum monumentis quæ in rem suam faciunt eligat & excerpat; damnet ac rejiciat cetera; nobis idem in nostris, utpotà Beroso, Megasthene, Herodoto nolit concedere? Cur fragmentorum nostrorum singula verba præstare nos jubet, & si quid in illis conciliari cum Scriptura non putet, universa repudiat; ipse pauca de suis quæ probet eligit; reliquis omnibus addici se tenerique non patitur? Vis est ista quidem, nolle qua lege alterum constringas, eam tibi ipsi præscribere. De Hieremia quod objicit, velim illius locum proferat, quo eâdem nocte, qua Baltassar est interfectus, Cyrum atque Persas cum Medis Babylonem occupasse testetur. quod illum scio numquam esse facturum. Quare irritæ sunt ἀνυπόστατοι omnes, quas N. XX. ex utriusque nece, Laborosoarchodi scilicet, & Baltassaris colligit; quæ falso isto, atque à nobis everso fundamento nituntur; quòd eâdem nocte, qua Baltassar interfectus dicitur à Daniele, Persæ atque Medi Babylone potiti sint. Hoc enim, quod maximè probare illius intererat, ne levissimè quidem suadere potuit.

Reliqua ejusdem refelluntur.

Ejusdemmodi est quod N. XXI. & XXII. contra alterum caput nostræ opinionis objicit, quo Nabonidum defendimus eumdem esse cum Dario Medo. Hoc enim solidissimo argumento suprà confecimus; quòd qui postremo de Nabuchodonosori stirpe Chaldæorum regi proximè successit, is non alius Danieli sit, quàm Darius Medus; at verò qui æquè postremo de Nabuchodonosori posteris successit, à Beroso nominatur Nabonidus. Igitur Nabonidus est Darius Medus. Quid adversus hanc demonstrationem noster opponit? Diversam causatur utriusque successionem. Nam Nabonidus XVII. post Laborosarchodum regnavit annis, Chaldæorum perseverante regno: at Darius Medus successit imperio Chaldæorum desinenti videlicet, ac diviso, juxta Danielis oraculum. Daniel quippe cap. V, 28. Baltassari arcanam illam scripturam interpretans; *Divisum est*, inquit, *regnum tuum; & datum est Medis, & Persis.* mox subjicit: *Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum.* His verbis, & ejusmodi serie orationis ac contextu doceri putat, eâdem nocte, qua Baltassar oppressus est, divisum in Medos ac Persas esse regnum. quod quidem pernegamus. Prophetæ cùm futurum aliquid denunciant, quo certissimè id eventurum esse significent, præsenti, aut etiam præterito tempore utuntur pro futuro. Infinita sunt apud Prophetas enallages istius exempla. Dabo simili in re, contra quod ne mutire quidem liceat. Lib. I. Regum cap. XV, 28. cùm Saul abeuntis cum indignatione Samuelis pallium scidisset, Propheta hoc ad futuri signum trahens, *Scidit*, inquit, *Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Si ex Danielis verbis, orationisque contextu rectè noster conjicit, eadem nocte qua Baltassar cæsus est divisum in Persas, ac Medos esse regnum; quoniam propheta dixit, *Divisum est regnum tuum*, &c. eodem jure concludere licet illo ipso tempore, ac die, quo Sauli Samuel illa locutus est, Saulem mortuum esse, ac regnare desiisse, Davidémque successisse. Atqui nondum à Samuele designatus ad regnum David, ac perunctus fuerat; cui nonnisi post Saulis obitum regnum Israëlis traditum fuit. Viderit igitur quàm bellè argumentatio ista procedat. Enimverò *dividendi* vocabulum apud Danielem, ut & *scindendi* loco illo I. Reg. idem est ac separare, auferre, transferre. פרס inquit, id est separandum, & auferendum à te regnum tuum, quod tecum modò conjunctum est. Separantur enim quæ invicem cohærent, uti regnum cum rege: ne quis divisum, id est partitum in Medos ac Persas illud esse suspicetur: quemadmodum & vox קרע, qua Samuel utitur, separationem, non partitionem significat. Tametsi paullò aliter Danielem interpretari fas est: cùm Baltassare mortuo, exstinctáque Nabuchodonosori stirpe ad alienos imperium pervenerit, primùm ad Darium Medum, inde mortuo Dario ad Cyrum, ac Persas esse translatum. Ita enim divisum erit in Persas, Medósque regnum, quatenus Darius à Medis oriundus imperavit primò: tum Cyrum Persásque successores habuit. Nam & illi ipsi, quibus placet Darium Medum regem cum Cyro vires suas, & consilia communicasse, non aliter explicare possunt quod Propheta dixit, divisum est regnum; si dividere hoc loco idem esse velint, ac partiri: quàm à Medis primum possessum, inde ad Persas devolutum esse. Existimant enim Cyrum, postquam Darii copiis adjutus Babylonem cepit, sponte illi parto imperio cessisse; ac demum post ejus obitum in eam possessionem pedem intulisse. Unde divisum in Medos, Persásque regnum non eodem utique tempore, sed successione quadam: quoniam unus post alterum, Cyrus post Darium illud obtinuit.

At enim N. XXIII. objicit: de Nabonido ne cum Beroso quidem consentimus. Nam à Cyri victoria negat Berosus Nabonidum Babylone regnasse. An aliud nos dicimus? Sed illud homini videlicet persuasum est, quod idem & nos arbitrari putat; Nabonidum non priùs à Beroso ad Chaldæorum regnum provehi, quàm capta sit Babylon: quasi tum cùm Laborosoarchodus, sive Baltassar interfectus est, hostilis in Babylonios grassatio, & Medorum irruptio contigerit. quod ipsum caput erat probationis; neque tamen in tam longa Diatriba vel tenuissimè nobis ostensum est. Doceat

itaque si potest, eâdem illa nocte, qua Baltassar occisus est; Medos ac Persas, Darium Medum cum Cyro Babylonem occupasse. Hoc quamdiu non facit, frustrà nos oppugnat. Ad extremum de Darii Medi genere quæstionem definire aggreditur; quem nos Astyagis fuisse filium cum Herodoto, Ctesia, Diodoro, Justino, ac veris omnibus Historicis negavimus. In quo magnopere ponderandum illud esse duximus, quòd cùm in aliis plerisque Ctesias ab Herodoto dissideat, eúmque mendacii conetur arguere: hac tamen in re cum illo consentiat ut Astyagem ultimum Mediæ regem absque filio successore decessisse confirmet. Contra firmissimam illam Historicorum concordiam, Nofter solas conjecturas attulit, easdémque perleves. Videri ex Herodoto dicit Astyagem virili prole non caruisse: alioquin nihil causæ fuisse, cur à nepote suo, hoc est filiæ prole tantopere sibi formidaret. Nam cui potiùs alteri mandaret imperium, quàm nepoti, si quidem filio careret? Verùm illud jure metuebat, & cavebat Astyages, ne regno ipse privaretur, quod à filiæ stirpe imminere illi Magi prædixerant. Quantum autem in rege metus ille ac retinendi imperii cupiditas valeat, quóve transversum ac præcipitem ejus animum rapiat, gentium omnium, ac populorum annales nobis tacentibus loquuntur.

Verùm esto, inquit, Astyagis filius Darius ille non fuerit; ac Medorum rex idem profecto fuit; eique tamquam amico ac fideli viro Cyrus regnum illud permisit. An illud dixisse satis est, aut in historia quicquid probabiliter ariolari ac divinare potueris, id statim amplecteris? Hoc si de Astyagis filio Cyaxare remittis, jam ab auctoribus tuis discedis, neque ex hac fabula quicquam, præter conjecturam tuam, & ut verisimilem demus, certè ex ingenio confictam Δαρεῖον, reliqui tibi facis. Nos expressis ac disertis vetustissimorum Historicorum testimoniis innitimur, & quod caput est, eorum ipsorum, quos illi tui non modò certissimos ac verissimos indicant, sed quos etiam se duces adhibuisse testantur. Quare aut Josephi, atque Hieronymi fidem & auctoritatem ejurare debes, aut quos ipsi probaverint, & secutos se esse, adeóque sequendos posteris ostenderint, sua, non aliena voce loquentes audire. Verùm de Dario Medo, déque Nabuchodonosori posteris & successoribus nimis jam multa. Sed videlicet amici nostri humanissimi & eruditissimi viri studio reponendum aliquid fuit, ne in schedis nostris excutiendis operæ pretium ullum à se factum crederet. Nos illud ex hac responsione fecimus, magis ut quàm antea nobis prior illa sententia placeret. Nam cùm ab homine diligentissimo, & historiæ peritissimo peculiari Dissertatione, Operis in fronte præfixa acriter oppugnata sit, planum est nihil esse quod ad eam labefactandam valere posset argumentorum relictum. Cùm igitur hæc ipsa, quæ illic protulit, tam contra nos imbecilla sint, tam à nobis facilè dissoluta, magna, neque, uti spero, vana fiducia est, meliora, quàm quæ proposuit, reperiri nulla potuisse.

DE INITIO CYRI.

CAPUT XIII.

Scaligeri variæ super eo, dissidentésque sententiæ discussæ.

IN lib. v. hujus operis, pag. 378. Cyri primordium confert in annum Periodi Julianæ 4154. idque consensu auctorum omnium adstruit, qui Cyrum iniisse volunt anno primo Olympiadis LV. Est autem hic annus, inquit, XLVII. post obitum Nabuchodonosori.

In Notis ad fragmenta Berosi & aliorum, quæ in calcem hujus Operis conjectæ sunt, pag. xv. docet Nabonidi ultimi Chaldæorum regis decimum septimum, & ultimum fuisse Nabonassari CCVI. Cyri decimum nonum, undecimum ante solutam captivitatem, quæ quidem relaxata est anno illo Nabonassari CCXVII. qui erat septuagesimus à capto Jechonia, & ab Hieremia prædictus, cap. XXIX, 10. Hinc primum annum Babylonici imperii Cyrus iniit. Quippe victo Nabonido non statim Babylone potitus est Cyrus, sed post multum tempus, postquam Nabonidum intra Borsippi munimenta se continentem in deditionem accepit, ac reliqua deinde Babyloniæ subjugavit. Annus Nabonassari CCVI. est Julianæ Periodi 4172. Cyri XXX. annus verò Nabonass. CCXVII. est Julianæ Periodi 4183. Cyri XXX. in quem LXX. anni ab Hieremia prædicti desierunt; quando & nova æra à Chaldæis Cyro condita est, & triumphata jam Asia usurpare istud potuit: *Deus cœli dedit mihi omnia regna terræ.* Proinde Nabonidus undecim annis ante solutam captivitatem regnare desiit, cùm interim Cyrus Lydiam, Asiámque, & Assyriam, reliquósque tractus Orientis victoriis peragraret.

In Animadversionibus ad Eusebium, ad annum MCDLVI. tria Cyri distinguit initia. Primum Persici regni anno I. Olymp. LV. Secundum Chaldaïci imperii anno XXII. Persici regni, quum expugnato Nabonido Medo Chaldæorum regnum adeptus est, novem annis ante mortem ejus. Tertium initium à subjugatis Bactrianis, cùm toto Asiæ imperio à finibus Indiæ ad Cycladas insulas potitus est. Hoc initio Danielem & Esdram uti censet, qui annum primum Cyri vocant eum, qui consurgit ex anno XXIX. Persici regni.

Denique lib. III. Isag. Can. pag. 291. annum septuagesimum captivitatis definere dicit in annum Periodi Julianæ 4183. Cyri XXIX. ad finem decurrente: qui solidos annos explevit XXX. & XXXI. inchoavit. Tria hæc initia in Animadvers. ad annum MCDXXXI. in Diagrammate describit, ac primum annum Cyri in Perside assignat anno Nabon. CLXXXVIII. primum verò Babylonici regni, post arcem Borsippenam expugnatam, anno CCVIII. Nabonassari quo etiam laxata dicitur Judæorum captivitas. Denique tertium initium anno Nabon. CCXVII. quo tota Asia regnavit. Est autem annus Julianæ Periodi 4183. ita ut mortuus sit anno Nabon. CCXIX.

In his omnibus Scaligerianis decretis haud exigua conflictio est & inconstans varietas. In fragmentis duo tantùm initia Cyri constituit: alterum quo regnare in Perside cœpit anno I. Olympiadis LV. Per. Julianæ 4154. alterum, quo expugnato Nabonido, & in potestatem redacto Babylonicum imperium auspicatus est, anno Nabonassari CCXVII. Periodi Julianæ 4183. qui & tricesimus annus Cyri, atque ultimus fuit. At in Eusebianis Animadversionibus tria facit initia; & secundum, quod est imperii Babylonici, anno Nabonassari tribuit CCVIII. Periodi Julianæ 4174. tertium verò Nabonassari anno CCXVII. quem vicesimum nonum dumtaxat esse dicit Persici regni. Atqui in Perside regnare cœpit anno Nabonassari CLXXXVIII. ut in Diagrammate legitur: qui incurrit in annum Periodi Julianæ 4154. annus porrò Nabonassari CCXVII. est ab illo tricesimus, non vicesimus nonus. Ad hæc si mortuus est Cyrus anno Nabonassari CCXIX. hoc est Periodi Julianæ 4185. obiit anno ineunte regni Persici XXXII. non XXX. absoluto. Item Nabonidum à Cyro anno undecimo post captam Babylonem in potestatem habitum scribit in fragmentis; hoc est anno Persici regni XXIX. in Animadversionibus autem, anno Nabonassari CCVIII. quo Persici regni vicesimus primus iniit. Præterea si Cyrus anno ineunte Persici regni XXXI. decessit, obiit anno Nabonassari CCXVIII. Periodi Julianæ 4184. non 4185. atque adeo per totam Asiam uno dumtaxat anno regnavit, aut ad summum alterum inchoavit. Falsò itaque tertium inchoasse in Diagrammate docuit Scaliger. Nam si annus primus Cyri, quo Persidem occupavit, est Periodi Julianæ 4154. quod ubique constanter asseverat; anno utique 4183. desiit XXIX. Persici regni, & XXX. iniit; XXXI. cœpit anno 4184. Quare hunc ipsum haud excessit, nisi XXXI. annos absolutos eidem imputes. Ad hæc manifesta est absurditas. Nam Cambysem lib. II. Isag. Canon. pag. 133. cœpisse dicit anno Periodi Julianæ 4184. Cyrum verò in Animadversionibus decessisse anno Nabonass. CCXIX. Periodi Julianæ 4185. Itaque anno ante mortem Cyri Cambyses imperare cœpit; quod est ἀσύγκλωστον. Sed multiplicem illam Scaligeri pugnam sub unum Lectoris aspectum Tabella sequens objiciet.

DIAGRAMMA

DIAGRAMMA SCALIGERIANÆ DISCORDIÆ
super epocha Cyri.

Initium Cyri.		
Duplex	Triplex	
In Fragmentorum Notis.	In Isag. Canon.	In Animadversionibus.
Primum Persici regni anno Nabonassari CLXXXVIII. Periodi Julianæ 4154.	I. Persici, anno Nabonassari CLXXXVIII. Periodi Julianæ 4154.	I. Persici anno Nabonassari CLXXXVIII. Periodi Julianæ 4154.
Secundum Babylonici, anno Nabonass. CCXVII. Periodi Julianæ 4183.	II. Babylonici anno Nabonass. CCIX. Periodi Julianæ 4175. à Persico exordio, anno XXII.	II. Babylonici anno Nabonass. CCVIII. Per. Julianæ 4174. à Persico exordio anno XXI.
	III. Totius Asiæ anno Persici regni XXIX. exeunte, adeóque Nab. CCXVII. Per. Julianæ 4183.	III. Asiæ totius anno Per. Julianæ 4183. Nabon. CCXVII. à Persico initio, anno XXIX.
Nabonidus à Cyro victus & captus est.		
In Fragmentis.	In Isag. Canonibus.	In Animadversionibus.
Anno Nabon. CCXVII. Per. Jul. 4183. Persici regni XXIX. undecim à capta Babylone.	Anno Nabon. CCIX. Per. Julianæ 4175. Persici regni anno XXII. à capta Babylone anno tertio.	Anno Nabon. CCVIII. Per. Jul. 4174. Persici regni anno XXI. à capta Babylone anno secundo.
Moritur Cyrus.		
Lib. v. de Emendat.	In Isag. Canonibus.	In Animadversionibus.
Anno Nabonassari CCXVIII. Periodi Julianæ 4184. à Persico initio anno exeunte XXX. & ineunte XXXI. à Babylonico initio, anno primo desito.	Anno Nabon. CCXVIII. Periodi Julianæ 4184. à Persico initio anno exeunte XXX. à Babylonico anno exeunte X. ab Asiatico, anno exeunte primo, ineunte secundo.	Anno Nabon. CCXIX. Per. Julian. 4185. à Persico initio anno exeunte XXXI. & ineunte XXXII. à Babylonico initio, anno exeunte XI. ineunte XII. ab Asiatico, anno ineunte tertio, exeunte 2.

Ad extremum duo ab Scaligero ponuntur, quæ vereor ut obtinere possit: quorum alterum est, Cyrum XXXI. annum attigisse; imò verò, ut ex Animadversionibus Eusebianis colligitur, XXXII. Nam Herodotus non plures, quàm XXIX. assignat, Ctesias XXX. de quo paullò post agetur. Alterum, Nabonidi annum decimum septimum, & ultimum tantò ante captam Babylonem, & Babylonici imperii sumptum à Cyro primordium desiisse. Quippe statim post annos XVII. Nabonidi ultimi Chaldæorum regis, anni novem Cyri Persarum regis in Mathematico Canone subjiciuntur, quem nos libro superiore cap. XVII. reddidimus. Atqui si inter postremum annum Nabonidi & initium Cyri decem anni intercederent; (quod in Notis ad Fragmenta pag. XV. docet Scaliger. Ait enim decimum septimum annum Nabonidi esse XIX. Cyri, & Nabonassari CCVI. primum verò Babylonici regni Cyro contigisse anno Nabonassari CCXVII.) falsò Canon ille Mathematicus in serie Babyloniorum regum annos Cyro tribueret novem, cùm unus dumtaxat assignandus fuerit, cum interregno X. annorum, vel IX. ab ultimo Nabonidi ad Cyri primum, & unicum Babylonici regni: atque ita numerus annorum, qui à Nabonassaro ad Alexandrum, & in Canone illo, & à Ptolemæo, ceterísque Mathematicis vulgò concipitur, annorum CCCCXXIV. tribus circiter annis augendus esset. Idem etiam accidet, si posteriorem Scaligeri sententiam amplectimur, quæ in Animadversionibus exponitur. Ibi enim in Diagrammate pag. 84. proposito, primus annus Nabonidi imputatur anno Nabonassari CXC. vel CXCI. ultimus Cyri anno CCXIX. Ab anno CXC. ad CCXIX. intervallum est annorum XXIX. At verò Nabonidi XVII. anni cum IX. Cyri annos dumtaxat XXVI. efficiunt. Proinde duo, tréfve anni ad summam accedent. quod Mathematicis omnibus est inauditum. Hi enim ab initio Nabonassari ad ultimum Alexandri annos præcisè putant CCCCXXIV. Quod autem in Fragmentis, & Appendice ad libros de Emendat. Temporum addita, Herodotum affirmare putat, post victum Nabonidum, qui extra Babylonem in arce Bosippena deditionem fecit, Babylonios multis annis obsidionem tolerasse: vel hoc Herodotus non dicit, ut posteà demonstrabimus: vel ut dicere velimus, non ideo consequens est, idipsum finitis annis Nabonidi XVII. accidisse, adeo ut tot annorum interregnum ab ejus ultimo ad Cyri Babylonicum initium interceptum sit; quod incauto, & valdè imprudenti Scaligero excidit. Quare quantumlibet annorum inter deditionem Nabonidi, & Babylonicum Cyri primordium excurrisse putemus, totum id summa illa XVII. Nabonidi annorum exhaurire debet, quo certissimum à Nabonassaro ad Alexandrum M. intervallum immotum permaneat.

CAPUT XIV.

Rerum à Cyro gestarum historia ex Herodoto, Ctesia, & Berosо perstringitur.

CHRONOLOGIÆ, uti sæpè dictum est, totius cardinem ac fundamentum Cyri primordia continent, à quibus & antecedentium ferè temporum, & posteriorum ratio, & omnis ferè sacræ historiæ cum profana concordia dependet. Quamobrem omni ope ac diligentia perquirendum initium est Cyri, Persicique regni. Hujus autem, ut & doctrinæ totius temporum, præsidia sunt duo; historia, & character temporum: quæ ambo mutua ope nixa ad veritatis investigationem tutissimo compendio perducunt. Historica narratio instar est ὕλης, ac materiæ; character, εἴδους atque formæ. Itaque prior illa est ordine naturæ: ista cognitionis posterior, quæ ad alteram dirigendam castigandámque pertinet. Ut igitur Cyri Persicique regni epocham adstruamus, visum est ex Herodoto,

atque Ctesia summam vitæ ipsius gestarúmque rerum perstingere, ut ex amborum antiquitate, & auctoritate principum comparatione atque conflictu subtiliùs elimata veritas eniteat. Xenophontem autem, quia fabulam de Cyro potiùs, quàm historiam edidit, consultò præterimus.

Quæ Herodotus de Cyro referat.

Ergo ut ab Herodoto sumamus initium, Cyrum ille refert Astyagis Medorum regis nepotem fuisse ex Mandane illius filia, & Cambyse Persa; cui quidem uni de populo filiam ideo suam Astyages in matrimonium dedit, ne si nobili cuipiam nuberet, fatalis ille in Astyagis, ac Medorum exitium puer indidem ortus ad responsi fidem implendam paternis opibus niteretur. Erant Persæ per id tempus obscuri, Medisque subjecti. Ad hos Cyrus posteaquam adolevit, opes imperiúmque transtulit, eo rerum, bellorúmque decursu, qui ex Herodoto, ceterisque notissimus est, & à nobis ideo prætermittendus. Astyages cùm annis imperasset quinque ac triginta, regno spoliatus, ac privatus apud nepotem aliquamdiu vixit. Astyage victo primum cum Cræso, Lydisque bellum fuit. Cræsus affinitate vinctus Astyagi: (hic enim Cræsi sororem Alyattis filiam ex fœdere cum Cyaxare inito duxerat:) ut & propinqui injuriam persequeretur, & paullatim efferentem se Cyrum compesceret, bellum Persis indixit. Cyrus eâdem, qua contra Medos pugnaverat, adversus Lydos felicitate certavit. Victoriæ præmium Lydia, ac reliqua omnis Asia cum maritimis Græcisque civitatibus exstitit. Reliqua erat Babylon cum Bactris, Sacis, & Ægyptiis. Imposito Asianis Harpago, adversus Assyrios, eorúmque caput Babylonem transtulit bellum: cujus tum rex erat Labynitus Nitocridis filius. Post longam obsidionem potitus urbe novam deinde, ac postremam in Massagetas expeditionem suscipit; in qua & mortuus est, cùm annis regnasset XXIX. Hæc Herodotus. Ctesias verò primùm Astyagem negat ullo cum Cyro jure propinquitatis fuisse conjunctum: victum tamen ab eodem esse narrat, & in honore habitum; cujus filiam Amyntim uxorem duxit. Postea Bactrios refert sponte se Cyro subdidisse. Bellum inde contra Sacas susceptum, quorum regem Amorgem in potestatem habuit. Secuta est expeditio Lydica contra Cræsum: qui cum urbe regia captus, & in Mediam deportatus, ibi ingenti urbe prope Ecbatana donatus est. Astyages per Petisacan à Cyro arcessitus in itinere ab eodem Petisaca necatur. Postremum Cyro bellum contra Derbicas fuit; à quibus in prælio sauciatus triduo postea moritur, cùm filiis ante obitum mandata plurima dedisset: è quibus juniorem Tanaxarcem Bactrianorum, Choramniorum, Parthorum, & Carmanorum principem instituit. Regnavit annos XXX. Hæc de Cyro Ctesias.

Quid Ctesias.

Berosus.

Quibus pauca quædam ex Berosi fragmento subjicienda sunt, ubi auctor est, anno Nabonidi Chaldæorum ultimi regis decimo septimo Cyrum, cùm Asiam antea reliquam sibi subjecisset, in Babyloniam irrupisse. Cui Nabonidus cum copiis occurrens ingenti prælio victus cum paucis aufugit; séque Borsippenorum oppido conclusit. Cyrus occupata Babylone Nabonidum obsidere est aggressus. At ille viribus impar, ac sibi diffidens ultrò se dedidit. quem Cyrus humaniter acceptum in Carmania collocavit; ubi & ad obitum usque consedit.

Ex horum trium auctoritate Scriptorum, ut de reliquis taceam, quos ætate posteriores ab iis fontibus, ac præsertim Herodoti, totam illam historiam derivasse constat; satis exploratum esse illud arbitror, de quo in præsentiarum agitur; Cyrum aliquot annis post exstinctum Medorum imperium, & Persarum potentiam erectam, Babyloniam occupasse; nec utriusque regni dominatum eodem tempore, annóve contigisse. Quare vehementer Chronologi quidam recentiores hallucinati sunt, qui unum & eumdem annum Cyro putant imperii utriusque dedisse primordium. Qui manifestus error vix est ut refutationem ullam mereatur. Nos Herodotum ceterósque historiæ principes secuti initia duo Cyri, atque epochas duas distinguimus; alteram Persici regni, Babylonici alteram. Tum ex Herodoti & Ctesiæ consensu illud statuimus; Cyrum annis triginta regnasse; hoc est XXIX. expletis tricesimum inchoasse. Tertium autem Asiatici totius imperii principium tamquam fictum & commentitium respuimus: quod ideo Scaliger excogitavit, ut septuaginta annorum captivitatem novum illud Cyri in exordium desineret. Hoc verò, cùm de LXX. istis annis agetur, supervacaneum esse demonstrabimus. Interim duo illa Cyri primordia suis annis consignanda sunt.

CAPUT XV.

De epocha Persici regni à Cyro initi, quæ & ex Historia, & Astronomicis observationibus adstruitur.

NIHIL tanto Chronologorum omnium veterum perinde ac recentiorum consensione firmatum, ac stabilitum est, atque epocha Cyri prior, quod ad Olympiadem spectat. Nullus enim ex antiquis Olympiade IV. Cyrum Persis regnare cœpisse non prodidit, & quidem ineunte: hoc est ut agon ipse in annum illius primum incurrerit. Hanc accuratissimorum Scriptorum exquisitam in ea re concordiam luculentissimus testis adstruit Africanus apud Eusebium lib. X. de Præparat. Μετὰ δὲ ὁ Ὀ τὴν αἰχμαλωσίας ἐπὶ Κύρῳ Περσῶν ἐβασίλευεν, ᾧ ἔτει Ὀλυμπὰς ἤχθη νέα ὡς φησὶ τῇ Βιβλιοθήκῃ Διοδώρου, καὶ Θάλλου, καὶ Κάστορος ἱστορεῖν, ἐπὶ δὴ Πολυβίου, καὶ Φλεγόντος εἶναι δόξαν. ἀλλὰ καὶ ἑτέρων, οἷς ἐμέλησεν Ὀλυμπιάδων. ἅπασι δὲ συνεφώνησεν ὁ χρόνος. Κῦρος δὴ ἐν τῷ πρώτῳ τῆς ἀρχῆς ἔτει, ὅπερ ἦν Ὀλυμπιάδος νέου ἔτους τὸ πρῶτον, &c. *Post* LXX. *verò captivitatis annos Cyrus Persis regnare cœpit: quo anno celebrata est Olympias* IV. *ut in Bibliothecis Diodori, Thalli atque Castoris historiis; nec non Polybii, & Phlegontis scriptum reperies: sed & apud alios auctores, qui Olympiadas descripserunt. De tempore enim inter omnes convenit. Cyrus itaque anno regni primo, qui & Olympiadis* IV. *primus fuit*, &c. Quamvis perperam captivitatis Babylonicæ septuagesimum annum in Persicum Cyri primordium desinat. (Hoc enim suo loco refutabitur.) rectè tamen hoc ipsum exordium Persici regni definit anno primo Olympiadis IV. Sed cùm Julianis duobus annis Iphiteus, sive Olympiadicus quilibet respondeat, senósque de utroque menses decerpat dubitari potest utrum primo, an posteriori semestri Cyri initium illigandum sit: hoc est, an Periodi Julianæ 4154. quo IV. Olympias, id est Iphiti annus CCXVII. iniit; an potiùs anno 4155. Cyrus Persis imperare cœperit. Scaliger ubique Cyrum inisse scribit anno Periodi Julianæ 4154. maximè in hoc libro, & lib. II. Isagog. Canon. pag. 133. nec abhorrent Chronologi ceteri; qui anno illo Juliano, quo agon commissus est, Cyrum cœpisse vulgò referunt. Ego verò, quamquam leve istud est discrimen, malim id in sequentem annum conferre, Periodi Julianæ 4155. Quod partim ex historia, partim ex Astronomicis observationibus eruitur. Historici nos docent Cyrum Persis regnasse annos fermè XXX. Herodotus enim annos XXIX. (Ctesias XXX. Cicero lib. I. de Divinatione, totidem vertentes assignat: ut & vetus Chronologus apud Clementem Alexandr. lib. I. Strom. Itaque XXX. annum aut implevit, aut, quod propter Herodoti auctoritatem verisimilius est, inchoavit. Fortasse primus ex XXX. solidis ante Medos, Astyagémque devictum Persico soli regno imputandus est: si quidem antequam Astyagem superaret aliquantùm in apparatu belli temporis insumpsit, & interim solam Persidem obtinuit. quod spatium haud rectè Scaliger in Notis ad Fragmenta, pag. XXXVIII. ad annos plures extendit. Ego vel eodem anno, vel altero certè, quàm ab Astyage defecere Persæ, exstinctum Medorum imperium arbitror. Non enim tantùm inter Cyri defectionem, & victoriam de Astyage intercessisse temporis Herodotus significat. Non minùs ex Herodoto, aliisque melioribus Historicis constat, Cambysen Cyri filium annis post parentis obitum regnasse, non integros VIII. sed VII. cum mensibus V. de quo posteà: Item post Cambysen Magos successisse mensibus VII. Darium inde regnasse. Unde ab initio Cyri ad Darium anni sunt solidi XXXVIII. Quibus ex historia stabilitis, Astronomicas τηρήσεις ad præsidium advocamus. Tres sunt eclipses à veteribus proditæ, quæ ad Cyri Persarúmque primordium nos certissimè deducunt. Prima lunaris est defectio, quam Ptolemæus refert lib. V. pag. 125. editionis Græcæ, quæ Cambysis VII. contigit, Nabonassari CCXXV. Phamenoth XVII. Periodi Julianæ 4191. Julii XVI. qui est annus Olymp. LXVI. secundus, sive Iphiti CCLIV. iniens. Sucunda convenit eodem auctore Ptolemæo, pag. 102.

Darii Hystaspis F. anno vicesimo, Nabon. CCXLVI. Epiphi XXVIII. Tempus congruit anno Per. Jul. 4212. Novemb. XIX. feria II. anno tertio Olympiadis LXIX. sive Iphiti CCLXXV. Tertia denique, ut eodem loco refert Ptolemæus, accidit Darii Histaspis F. anno XXXI. Nabonassari CCLVII. Tybi III. Annus hic est Per. Jul. 4223. Apr. XXV. fer. III. Olymp. LXXII. anno primo exeunte, sequente secundo, sive Iphiti vergente CCLXXXV. Triplici hoc Astronomiæ munimento ad historicam fidem adjuncto Persici regni epocha firmabitur. Nam si Darii XX. annus cadit in Per. Jul. 4212. & Novemb. mensem, & XXXI. ejusdem in Aprilem anni 4222. necesse est primum illius iniisse anno Per. 4193. Cambysis verò primus iniit anno Per. Jul. 4185. siquidem septimus incidit in annum 4191. Nam Darius nonnisi anno 4193. inchoare potuit: quandoquidem Novembris XIX. currebat illius vicesimus, & Aprili, XXXI. quod paullò post pleniùs approbabitur. De anno itaque 4192. si XXXVIII. solidos exemeris, reliqui erunt 4154. Ergo sequenti, 4155. Cyrus iniit. Nam Scaligeri argumentatio lib. V. pag. 378. qua in annum confert 4154. sese ipsa destruit. Ita quippe disputat. Agathias auctor est, Persarum priscum à Cyro regnum per annos CCXXVIII. durasse; quibus deductis de anno 4382. Per. Jul. in quo victus fuit Darius ultimus, remanent anni 4154. initium Cyri. Verùm si detractis 228. de 4182. supersunt 4154. sequens annus Cyri primordium habeat necesse est. Ita enim subtractionis annorum ejusmodi ratio postulat, ut in Cyclorum putatione accidit. Nam primus illorum 228. est 4155. Quapropter Cyrum & Persicum regnum iniisse Medis exstinctis asserimus, anno Per. Jul. 4155. Nabonassari CLXXXIX. anno mundi 3425. à Diluvio, 1769. ab ortu Abraami 1477. ab exitu Israelitarum, 972. à condito Templo 453. ab eodem eversо, anno XXX. Idem annus ab Assyriorum & Beli primordiis est 1617. post ἅλωσιν Trojanam, 626. à Medorum initio, 318. Iphiti 217. sive Olymp. IV. primus exiens: ab Urbe condita 195. ante Christianam æram, 559. ab initio septuagenariæ servitutis 49. sextus circiter ab obitu Nabuchodonosori: anno Judaici computi 3202. currente, cyclo Lunæ XIII. Solis XI. regnante Romæ Servio Tullio anno ejus circiter vicesimo.

CAPUT XVI.

De Cyri altero initio, quod est Babylonici imperii.

QUOTO regni sui anno Babylone potitus sit Cyrus, nulla in historia declaratum legimus. Xenophon quidem septem annos Babylonici regni Cyro tribuit; quod & Torniellus amplexus est. Sed quantum in historia Xenophonteis illis habendum sit fidei suprà docuimus. Mathematicus ille Canon, quem lib. V. cap. XVII. cap. II. protulimus, in Babyloniorum regum catalogo, post Nabonadium, nominat Cyrum; cui annos imputat IX. quod & probabile nobis videtur. Itaque Cyrum arbitramur anno regni sui XXI. absoluto, & inchoato jam secundo ac vicesimo, Babylonem cepisse, & Babylonium imperium iniisse: ut triginta illi, quibus universe regnavit, anni conficiantur. Proinde Babylonem, si ita placet, aliquot ante annos obsidere cœperit, & cum Nabonido bellum gesserit. Neque enim satis evidens est, quantum temporis ab expeditionis Babylonicæ principio, ad Babylonis ἅλωσιν, vel Nabonidi expugnationem intercesserit. Nos annum primum Babylonici imperii statuimus in Per. Jul. 4176. mundi 3446. Nabonassari CCX. quot etiam Mathematicus ille Canon ab exordio Nabonassari ad Cyri primum computat: Urbis conditæ CCXVI. Olymp. IX anno tertio ineunte, sive Iphiti CCXXXIX. ab initio septuagenariæ servitutis anno LXX. qui & Babyloniorum imperium terminavit; cyclo Solis IV. Lunæ XV.

Ante Babylonicum bellum Cyrus cum Lydis, Cræsoque Lydorum rege conflixit. Eusebius in Chronico captum à Cyro Cræsum, exstinctúmque Lydorum regnum perhibet anno I. Olymp. LVIII. qui est Per. Jul. 4166. ab exordio Cyri duodecimus. At Scaliger in Animad. ad Annum MCCCCLXIX. & in Isag. Can. pag. 320. contigisse vult anno primo Olymp. LIX. idque ex Laertio in Periandro colligit. Sed nihil tale apud Laertium reperias. qui Sosicratis dumtaxat opinionem refert, affirmantis Periandrum ante Cræsum obiisse. Σωσικράτης δέ φησι πρότερον Κροῖσον τελευτῆσαι αὐτὸν ἔτεσι πεντήκοντα καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς πεντηκοστῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος. *Sosicrates verò testatur ipsum ante Cræsum mortuum esse annis* XLI. *ante* XLIX. *Olympiadem.* Hæc ambigua sunt. Nescias enim utrum mortuum dicat esse Periandrum annis ante Cræsum XLI. an simpliciter ante Cræsum, & XLI. annis ante Olympiadem XLIX. putà Olympiade XXXVIII. Itaque ab Eusebii sententia non temerè dimoveor. Diogenis porrò verba priorem ad mentem interpretor; uti Periander anno XLI. ante Cræsi calamitatem obierit; nempe Julianæ Periodi anno 4126. Olympiadis XLVII. anno IV. quod tempus Olympiadem XLIV. quinquennio præcedit. Nam πλανικῶς tempus illud Sosicrates circumscripsit. Eusebius annum primum Periandri conjicit in annum I. Olymp. XXXVIII. qui est Periodi Julianæ 4086. currente Abraami anno 1389. Eusebiano, qui cœpit anno Periodi Julianæ 4085. Ita egregiè consentiunt omnia.

CAPUT XVII.

De Cambysis initio, & Cyri obitu.

INDUBITATA est hujus regis epocha ex Astronomicis observationibus, quas suprà cap. XV. retulimus. Harum prima, auctore Ptolemæo libro V. pag. 125. accidit anno VII. Cambysis, Nabonassari CCXXV. Phamenoth XVII. Thoth hujus anni incidit in Kal. ipsas Januarias, feria IV. hora XI. à meridie diei XVI. in Horizonte Babylonico; Alexandriæ verò, hora una $\frac{1}{2}$ ante mediam noctem. Tempus convenit anno Per. Jul. 4191. Julii XVI. nocte illa quæ inter XVI. & XVII. intercessit, feria IV. sequente V. Cyclo Solis, XIX. Lit. E. Cyclo Lunæ XI. anno Judaico 3238. cujus Tisri character est, 3, 1, 1072. Septembris X. feria 3. anno Per. Jul. 4190. Thamuz Julii II. feria IV. cujus character 4, 9, 262. Ergo XVI. Thamuz horis ab initio noctis IV. $\frac{1}{2}$ in meridiano Alexandrino, plenilunium eclipticum incidit. Nostræ Tabulæ verum Plenilun. exhibent hora 10, 54′. à meridie diei 16. Julii Alexandriæ. Defectio ipsa cùm digitorum non ampliùs 6. à Ptolemæo fuisse dicatur; ex Tychonicis epilogismis, & nostris, ac Longomontani Tabulis digitorum est ampliùs 8. Tenuit horas 3, 22′. Cœpit hora 9, 16′. Desiit hora post mediam noctem diei 17. Julii 0′, 38″. Sol in gradu Cancri 16, 46′. Ex iis Cambysis initium adstruitur anno Per. Jul. 4185. quod & rectè lib. V. de Emend. scripsit Scaliger. Malè verò in Isag. Canonibus libro II. pag. 133. contulit illud in annum 4184. Cyrus anno 4155. regnare cœpit; cui XXX. anni saltem inchoati tribuuntur. Ad 4154. adde XXX. fiunt anni 4184. Igitur sequente, 4185. Cambyses regnum adiit, anno Mundi 3455. Nabonassari CCXIX. Olymp. LXII. anno quarto, vel exeunte tertio, Iphiti CCXLVII. exeunte, vel ineunte CCXLVIII. Regnavit porrò Cambyses annis, ut Herodoto placet, VII. cum mensibus V. Magi verò mensibus VII. qui octavum Cambysis annum expleverunt. Ideo Cambysi quidam octo annos assignant. Ctesias verò annos Cambysis numerat XVIII. Clemens Alex. lib. I. Strom. ex vetere Chronologo annos XIX. Hæc si vera sunt, dicendum est Cambysen superstite adhuc Cyro in spem imperii, aut consortium adscitum; idque subinde post Babylonem captam; quod & aliàs à Persis regibus factum esse meminimus.

Theophilus lib. III. ad Autolycum Cyro annos tribuit octo & triginta, eúmque mortuum refert Olympiade LXII. Suspicor errore librarii octo ad summam addita fuisse. Porrò annus Per. Jul. 4184. initium dedit anno tertio Olympiadis LXII. At si octo supra triginta regnasset annis, cùm omnium consensu Cyri primordium anno congruat primo Olympiadis IV. non caderet illius exitus in Olymp. LXII.

CAPUT XVIII.

De tempore occupatæ à Persis Ægypti, déque postremis Ægypti regibus ex Herodoto, cujus ex Ezechiele historia castigata: & ejusdem Prophetæ locus illustratur.

AEGYPTIORUM origines, ac Dynastias, quas Africanus & Eusebius scriptis prodiderunt, fabulosas, &, quod ad vetustatem attinet, ementitas esse, cùm res ipsa loquitur; tùm nos breviter suo loco significavimus. Quòcirca paucos ex Ægyptiis regibus, ac postremos dumtaxat hoc loco perstringemus; quorum ex Herodoto, ac Diodoro exploratiora sunt tempora: quique ad sacræ historiæ notitiam adjumento esse possunt. Herodotus lib. II. refert post varios Ægypti reges, ac postremò duodecim illos, qui communiter regnarunt, unum ex iis Psammitichum regnasse annis LV. Huic Necos filius successit, annis XVI. Inde Psammis Neco filius, annis VI. Quem Apries ejus filius excepit, annis XXV. Ab hoc deficiens Amasis regnum occupavit, annis XLIV. Adversus hunc Cambyses expeditionem suscepit. Sed cùm in Ægyptum pervenisset, mortuus jam erat Amasis, ejúsque loco regnabat Psammenitus; qui sex mensibus imperavit. Hæc Herodotus. Diodorus verò Apriem regnasse scribit annis XXII. Amasin verò, LV. quem & mortem obiisse narrat sub Cambysis expeditionem, circa tertium annum Olympiadis LXIII. Secundùm Herodotum ab initio Psammitichi ad Psammenitum anni sunt CXLVI. menses VI. Eusebius in Chronico scribit Cambysen anno V. regni sui Ægyptum obtinuisse, anno tertio Olympiadis LXIII. Primus annus Cambysis jam à nobis constitutus est in anno Periodi Julianæ 4185. quarto ineunte Olymp. LXII. Quintus ergo cadit in annum Periodi Julianæ 4189. quo cœpit annus quartus Olympiadis LXIII. Unde illo ipso Periodi Julianæ 4189. Ægyptum occupavit, ut & anno quinto, & Olympici lustri anno tertio istud acciderit. Neque Scaligerum audiemus, qui ad annum Eusebiani Chronici MCCCCXCI. satius esse notat anno sexto Cambysis Ægypti occupationem tribuere, quàm quinto: quoniam, inquit, VIII. solidos imperavit, & tres potitus est Ægypti. Sed horum prius falsum est: neque enim octo annos explevit. posterius verum erit, si quinti partem ad octavi anni quinque menses adjicias. Si igitur de 4189. deducantur anni CXLVI. reliqui erunt 4043. Itaque anno Periodi Julianæ 4044. iniit Psammitichus, si Herodotum sequimur. At ex Diodoro confient anni CLIV. qui deducti de 4189. dant epocham Psammitichi anno 4036. Nos Herodotum, utpote antiquiorem, magis amplectimur: è quo Laterculum sequens Ægyptiorum illorum regum descripsimus.

Error Scaligeri.

Reges Ægypti ex Herodoto.	Anni regni.	Initium regni.
Psammitichus	LV	4043
Necos	XVI	4098
Psammis	VI	4114
Apries	XXV	4120
Amasis	XLIV	4145
Cambyses *	IV	4189
Colliguntur anni ad Cambysen usque CXLVI.		

Eusebius in Chronico aliter regum illorum tempora dispensat: aliter Africanus; à quibus ambobus diversus est Scaliger. Horum omnium sententias sequenti Laterculo describam.

ÆGYPTII REGES novissimi.			
Ex Africano		Ex Eusebio.	Ex Scal. Isa. Can. p. 129.
Psammitichus	LIV	XLIV	XLIV
Nechao II	VI	VI	XVII
Psammuthis	VI	XII	XVI
Vaphres	XIX	XXX	XXV
Amasis	XLIV	XLII	XLIV
Psammecherites	m. VI	Colliguntur anni CXXXIV.	Colliguntur anni CXLVI.
Colliguntur anni CXXIX m. VI.			

Vides ut ab Herodoto, Diodoro, ceterisque discedat in plerisque Scaliger, neque certum aliquem sequatur auctorem: & tamen in annorum ὁμάδι nobis cum illo convenit. Illud præcipuè mirum, quòd Psammi filio Nechao, annos XVI. assignet; quot nemo Scriptorum imputat. At idem in Notis ad Fragmenta, pag. XLI. Herodotum planè sequitur. Sed perperam cum epocha Amasidis à Diodoro constituta Herodoti calculos comparat. *Ab initio*, inquit, *Nechao ad initium Amasidis anni sunt* XLVII. *qui deducti de anno* CLXVIII. *Nabon. quo Amasin cœpisse putat Diodorus, relinquunt annos Nabonassari* CXXI. *qui est primus Nechao. Ita Nechao decesserit anno Nabon.* CXXVII. *circa initium regis Joakimi. Atqui fusus est à Nabuchodonosoro anno* IV. *Joakimi. Videndum igitur utrius culpa sit. Nam certè alterutrius culpa est.* Imò verò neutrius est culpa, sed ipsiusmet Scaligeri; qui jocularitер rationes utriusque conturbat. Diximus suprà Diodorum Aprii annos tantùm XXII. tribuere, Amasidi LV. reliquorum annos tacuit. Itaque si ex Herodoto suppleveris; ultimus Necao in tertium exeuntem Joakimi, & ineuntem quartum incidet. Etenim ultimus Amasidis cadit in annum Periodi Julianæ 4189. Ab initio Necao ad ultimum Amasidis ex Diodori ratiociniis confiunt anni XCIX. Ii deducti de anno 4189. dant initium Necao anno 4091. Ergo cùm regnaverit annos XVI. ultimus ejus cœpit anno 4106. desiitque anno 4107. quo quartus iniit Joakim. Ita cùm Scriptura hac ex parte congruit Diodorus, quod in annum IV. Joakimi confert exitum Necao. In Prolegomenis Operis de Emendat. Temporum, rursum Diodori epilogismos cum Herodoteis permiscet. Amasidi enim LV. annos assignat. Tum Nechao circa annum IV. Joakimi mortuum asserit. quod meritò posteà retractavit. Tutissimus est Herodoti calculus; &, quod gratissimum historiæ studiosis accidit, cum sacris codicibus satis congruit. Secundùm hunc Nechao anno regni sui X. à Nabuchodonosoro victus est; & post clade illam sex annis supervixit. Herodotus porro lib. II. scr.bit Necon cum Syris pedestribus certasse copiis, eósque ad Magdolum vicisse. Hæc est illa pugna, in qua Josias occisus est. Lib. IV. Reg. XXIII, 29. *In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum, ad flumen Euphraten, & abiit Josias rex in occursum ejus, & occisus est in Mageddo, cùm vidisset eum.* Idem & lib. II. Paral. XXXV, 20. ubi & locum designat ad Euphratem, quò Nechao contendebat, nempe Charcamis. Magdoli præterea Hieremias meminit, cap. XLVI, 14. Quocirca anno regni sui VI. Nechao Josiam occidit, & Hierosolymitanam civitatem grandi æra multavit, ac Joakim regem constituit. Posteà anno X. regni sui, Joakimi quarto victus est à Nabuchodonosoro, ut est cap. XXIV, 7. Libri IV. Reg. neque tamen occisus in eo prælio, sed annis sex superstes fuit. Et hactenus quidem ex Herodoto historia succedit. Sed Ezechielis caput XXIX. perdifficilem ei controversiam facit. quo capite Pharaoni Ægyptio regi

Allius error de Amaside.

Ezechielis locus illustratur.

* Emendabat hic *Petavius*: Psammenitus m. IV. 4189.

regi Propheta cladem extremam, vastitatémque prænunciat, usque adeo totos ut quadraginta annos deserta sit Ægyptus, & ad solitudinem redactis oppidis habitatore careat. Verba Ezechielis adscribenda sunt; com. 10. *Dabo terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, à turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ. Non pertransibit per eam pes hominis; neque pes jumenti gradietur in ea; & non habitabitur quadraginta annis*, &c. Mox, com. 13. *Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerant*, &c. *Et erunt ibi in regnum humile.* Vix est ut cum istis Prophetæ verbis Herodotus in concordiam possit adduci. Etenim post Hierosolymorum vastationem, quæ ultimo Sedeciæ, anno Periodi Julianæ 4125. contigit, ac Tyri obsidionem, decimo tertio anno finitam: cujus exitus in annum Nabuchodonosori circiter XXX. Per. Jul. 4137. congruit, Ægyptiacam expeditionem Nabuchodonosor aggreditur, ut ex eodem capite XXIX Ezechielis, com. 18. colligitur. (de qua re vide quæ capite postremo lib. IX. dicta sunt.) Huic porrò Babyloniorum excursioni succedere debuit quadragenaria illa Ægypti vastitas, & interregnum. de quo nulla profanos apud historicos mentio. Nam Apriæ regi successor ab Herodoto datur Amasis; huic Cambyses anno Persici imperii quinto. Numquam igitur sine regno, ac principe fuerit Ægyptus, si Herodoto credimus.

Quæstionis explicatio.

Ut hanc quæstionem paucis absolvam; ita statuo: Quemadmodum tota illa, quam ex Herodoto perstrinximus, Apriæ, sive, ut Hieremias vocat, cap. XLIV, 30. Ephree regis & Amasidis historia non penitus conficta est: sic in ea quædam esse commentitia, & ab Ægyptiis contra fidem veritatis adducta. Quamobrem à Babyloniis occupatam arbitror Ægyptum, pro eo atque Jeremias cap. XLIV. & Ezechiel prædicunt. Id autem Waphreæ temporibus evenit, cujus miserabilem exitum lib. II. narrat Herodotus. Cùm enim ob Cyrenaicum bellum infeliciter ab eo gestum, Ægyptii defecissent; ad eosque placandos missus Amasis præfectus regius rex ipse ab rebellibus esset factus: contra illos contendens Apries, ac prælio superatus captúsque pòst paullò necatus est. Verùm hunc Amasin non Waphreæ, sed Nabuchodonosori præfectum initio fuisse, valdè suspicor. Aprien verò non XXV. annis imperasse: ac ne XIX. quidem fortasse: quot Africanus imputat. Hic est Ephrees ille, uti diximus, quem post Urbis, templique vastationem prædixit Hieremias in potestatem hostium esse venturum. Post annum itaque Nabuchodonosori tricesimum, ac Tyriam obsidionem, Apries ab Amasi præfecto Babylonici regis captus, & vita regnóque spoliatus est. Fingamus id, exempli causâ, tricesimo primo Nabuchodonosori anno esse factum; Periodi Julianæ 4138. Deinceps ergo Babylonicis regibus Ægyptus paruit, ac rege suo caruit. Imò verò diversis attrita cladibus quadraginta annis penè ad solitudinem redacta mansit, Amaside interim gubernante. donec Babyloniorum opibus paullatim attenuatis, excusso jugo, Amasis ex Præfectura regium sibi nomen assumpsit. quod annis aliquot ad Cambysen usque Persarum regem obtinuit. At Ægyptii Præfecturæ tempus, quod satis diuturnum fuit, cum regno confuderunt, itaque ab illis didicit Herodotus. Quod autem Ezechiel extremam Ægypti desolationem indicare videtur; non sic ejus accipienda sunt verba, quasi inculta penitus, & habitatoribus vacua interim fuerit. Sed hyperbole est in sacris libris admodum frequens; qua vehementiorem aliquam regioni calamitatem denunciat: quæ tanta futura est, ut pristinæ præsertim comparatione felicitatis, & opulentiæ mera solitudo videatur. Nam & oppida pleraque deserta erunt: & mercatorum advenarúmque commercio ac frequentia carebit. quod iis verbis adumbravit: *Non transibit eam pes hominis; neque pes jumenti gradietur in ea.*

Postremò, ut ad Herodotum revertar: quòd is initio lib. III. Cambysen refert contra Ægyptios bellum ideo suscepisse, quòd cùm ipse Ægyptii cujusdam ophthalmici suasu ab Amaside filiam in matrimonium petiisset, Amasis, qui concubinæ loco, non uxoris habendam sciret, pro ea Nitetin Apriæ filiam miserit: id parum mihi verisimile apparet. Neque enim satis congruit, ut post annos amplius quatuor & quadraginta Nitetis adeo formosa fuerit, ut ad Cambysis nuptias pro puella destinaretur. Quare probabilius est, quod ab aliis proditum idem narrat Herodotus, non à Cambyse, sed à Cyro affinitatem illam expetitam.

CAPUT XIX.

De Initio Darii Hystaspis F. déque eclipsibus duabus, quæ illo imperante contigerunt: & hallucinatione Christmanni.

NON minoribus firmamentis, imo certioribus, Darii epocha, quàm Cambysis adstruitur. Duplici enim observatione munitur. Harum prima à Ptolemæo adstruitur lib. IV. pag. 102. Eclipsis enim lunaris accidit anno Darii XX. Nabonassari CCXLVI. Epiphi XXVIII. sequente XXIX. hora 1½. ante mediam noctem, hoc est horis à meridie 10, 45. in Horizonte Alexandrino. Tempus congruit anno Per. Jul. 4212. Novembris XIX. feria 2. sequente 3. nocte illa quæ inter XIX. & XX. Novembris intercessit, cyclo Solis XII. Lunæ XIII. lit. G. anno Judaico 3260. cujus Tisri characterem habuit 6, 9, 768. Sept. VII. anno Per. Jul. 4212. Casleu verò character 2, 11, 194. Novemb. V. Itaque XV. Casleu, sive potiùs XVI. Judaicè jam ab initio noctis inchoata, contigit eclipsis. Parisinæ Tabulæ Plenilunium verum exhibent hora 11, 15′. post meridiem diei 19. Novembris. Cœpit defectio hora 9, 58′. Defiit hora 0, 32′. post mediam noctem diei XX. Novemb. Solis verus locus in Scorpii gradu 22, 8′. Duratio horarum 2, 34′. Digitos habuit 4.

Rursum eodem imperante Dario, anno ejus XXXI. ut eâdem pag. refert Ptolem. defecit Luna anno Nabonassari CCLVII. Tybi III. sequente IV. hora 10, 40′. à meridie in Horizonte Alexandr. Fuit hic annus Per. Jul. 4223. mundi 3493. cyclo Solis XXIII. lit. G. Lunæ V. Apr. XXV. sive nocte, quæ inter XXV. & XXVI. interjecta fuit, feria IV. sequente V. anno Judaico 3270. cujus character 7, 4, 820. Sept. XV. anno Per. Jul. 4222. cyclo Solis XXII. lit. A. Iiar verò character 3, 21, 971. Apr. IV. translatione naturali propter $\frac{m}{n}$. Quare contigit eclipsis XVI. die jam ab initio noctis ineunte. Tabulæ quoque nostræ Plenilunium verum hora 9, 52′. referunt post meridiem diei 25. Aprilis. Defectionis autem initium hora 8, 58′. Finem hora 10, 46′. Duratio integra hora 1, 48′. Digitorum fuit 2, $\frac{1}{2}$. Sol in Arietis 28, 42′. Cui consentanea ferè est Prutenicis ex calculis Buntinghi descriptio, præterquam in situ Solis. Ex iis ambobus deliquiis initium Darii Hystaspis F. concluditur. Si enim anno Per. Jul. 4212. Novemb. XX. currebat annus illius XX. & Per. Jul. 4223. Aprilis XXV. ejusdem primus, ac tricesimus: necesse est ipsum iniisse anno Per. Jul. 4193 Mundi 3463. Olympiadis LXIV. anno IV. ineunte, vel exeunte III. Iphiti nempe CCLV. vel CCLVI. Nabonassari CCXXVII.

Sed de utroque isto Lunæ deliquio Christmannus lib. de Connexione Annorum absurdissimè sentit, falsâ bissextilium ac Julianorum annorum ordinatione deceptus, quam nos lib. IV. refutavimus. Notat ille ad annum Nabonassari CCXLVI. in eum incidisse Darii vicesimum: Hipparchum verò, qui eclipsin illam descripsit, errasse, dum XXVIII. die Epiphi mensis contigisse prodidit; cúmque à Ptolemæo notatum ac deprehensum errorem. quem etiam per Enneadecaëteridem Julianam detegi posse confirmat. Si quidem Thoth Nabonassari CCXLVI. incidit in annum CCCCLVIII. ante ordinationem Julianam, XXVII. Dec. feria IV. quamobrem si hinc numeres menses X. Ægyptios, & XXVII. dies præteritos, descendetur ad XVIII. Novemb. currente anno CCCCLVII. ante ordinationem Julianam, bissextili, litteris Dominicalibus GF. Aureus numerus Kalendarii Juliani ex Lucæ Gaurici descriptione, fuit XIX. qui in Kalendario illo ad diem IV. Novemb. adscriptus est; sed propter anticipationem lunarem, Darii sæculo fuit in VI. Novembris. Ergo die pòst XV. hoc est XX. Novemb. Epiphi ultimo, sive Mesori primo Luna defecit. Hæc Christmannus. in quibus multis modis hallucinatur. Nam neque Ptolemæus ullum in observatione ista Hipparchi castigat errorem; & omninò certum est illo ipso, quod expressum est, momento Lunam defecisse. Ptolemæi locus lib. IV. cap. IX. Græcæ edit. pag. 102. legitur; ubi tantùm abest, ut Hipparchi ratiocinia

Error Christmanni.

ratiocinia falsa putet, ut ex iis opinionem ipse suam adstruat. In fine quidem libri, cap. x. alias ab Hipparcho ipso deprehensas Lunæ defectiones retulit, & in earum epilogismis Hipparchum aberrasse censuit; in duabus autem illis, quas à Babyloniis traditas acceperat, nihil erroris agnoscit. Jam si Enneadecaëteridem Romanam adhibeas, non minùs illa conveniet, uti & Astronomicæ Tabulæ omnes. Buntinghus certè è Prutenicis eclipsis illius calculos ad annum mundi 3467. accuratissimè suo more subduxit, qui adamussim cum Hipparchi & Ptolemæi descriptione congruunt. Quod & alii plerique Mathematici fecerunt.

Sed Christmannum falsa, & à nobis lib. IV. refutata Julianorum annorum, & bissextilium dispositio in errorem impulit. Thoth anni Nabon. CCXLVI. incurrit in annum Periodi Julianæ 4211. Decembris XXVII. feria IV. lit. A. Ab hoc die ad XXVIII. Epiphi, dies sunt CCCXXVIII. qui ad CCCIX. adjuncti conficiunt DCLXXXVIII. dies; de quibus subducti CCCLXV. relinquunt CCCXXIII. hoc est Novembris XIX. anno Periodi Julianæ 4212. qui est CCCCLVII. ante Julianam ordinationem. Si enim de anno confusionis 4668. qui Julianum primum proximè præcessit, detrahas annos 457. relinquetur annus 4211. Ergo annus sequens 4212. primus est ex 457. illis, qui Julianos antecedunt, idémque communis, non bissextilis. At Christmannus, qui annum Julianum communem instituit, & in annum Confusionis bissextum refudit, etiam quadringentesimum quinquagesimum septimum ante Julianam ordinationem bissextilem fecit, ac bissextilium annorum ordinem fœdissimè conturbavit. Ex quo illud evenit, ut Neomenia Epiphi XXII. Novembris inierit, non XXIII. propter intempestivam intercalationem bissexti, quæ in annum sequentem 4213. conjicienda fuerat.

Alteram observationem, & eclipsin non minori falsitate Christmannus idem redarguit. Negat verò annum Nabonassari CCLVII. Tybi tertio ullam Lunæ defectionem incidere potuisse. Verba Christmanni ex ejus libro de annorum connexione, pag. 292. hìc adscribam. *Sed non immeritò, inquit, relationem Hipparchi suspectam habet Ptolemæus, cùm ait:* ἐλκόπῃ ᾗ ὃν τῷ τεθεκτθειμένων καὶ τὰς ἓξ Γ πάσης ὑποθέσεις μέσων πορεύων ἐν τοσούτῳ χρόνῳ εἰς ὅλας δεκαπεντάσεις μοίρας ι', καὶ ἐξήκοντα ἔγκλισα ϛ'. *Deficiunt autem ex suprà positis secundùm Hipparchi hypotheses mediorum motuum in tanto tempore ad integras restitutiones gradus* X. *& sexagenas ad proximum duas. Fieri enim non potuit, ut oppositio luminarium esset, quo tempore Hipparchus eam tradit fuisse. Nam Thoth Nabonassari* 257. *incurrit in annum* 447. *ante ordinationem Julianam, die* 24. *Decembris, feria prima. hinc si numeremus quatuor menses Ægyptios, & 2. dies præcevitos, perveniemus ad* 25. *Aprilis, quo eclipsis fuisset in oppositione luminarium, juxta traditionem Hipparchi.* Hæc Christmannus. In quibus summa est ἀβελτερία, cùm à Ptolemæo damnatam observationem istam, ut & superiorem arbitratus est. Atqui non solùm utramque illam πόρισιν non refellit; sed ea veluti fundamento ad lunaris epilogismi castigationem nititur. Christmanni absurdissima ratio. Disserit enim cap. illo nono de emendatione mediorum motuum Lunæ secundùm latitudinem, in quibus definiendis & Hipparchum, & seipsum, qui Hipparchum secutus esset, anteà falsum esse confitetur. Eum se verò postmodum errorem sustulisse dicit ex accuratissimis observationibus. πρῶτον μὲν ὖν, inquit, εἰς τὴν αὐτῆς τῶ μῆνας πορείαν διέρθωσιν, ἐξετάσαμεν ἐκλείψεις σελληνιακὰς ἀπὸ τῶ ἀδιάστατος ἀναγεγραμμένων. *Primùm igitur ad ipsius medii motus castigationem, quæsivimus eclipses lunares, quàm diligentissimè conscriptas.* Subjicit ambas illas defectiones, quæ Darii tempore contigerunt: quas cum observationibus aliis confert, ex eâque comparatione motum Lunæ τῷ πλάτῳ emendat. Non igitur eclipses & observationes ipsas reprehendit; quin potiùs ex illis Hippareheas hypotheses corrigit. Pergit Christmannus; & alio argumento πόρισιν illam oppugnat. *Quod autem tunc nulla fuerit oppositio, etiam ostendit Enneadecaëteris Juliana. In anno enim* 447. *ante ordinationem Julianam aureus numerus est* X. *qui in Kalendario Juliano ponitur ad* XII. *Kalend. Maii: sed propter anticipationem lunarem intelligimus novilunium fuisse in* 23. *Maii die. Itaque die decimo sexto antè, die scilicet septima Maii, fuit luminarium oppositio: hanc autem Hipparchus dicit fuisse* 25. *Aprilis: ergo plus quàm decem dies deficium: unde colligitur incertum esse in numeris Hipparchi, quos ex Tabulis æqualium motuum corrigendos esse asserit Ptolemæus.* Ridicula est hallucinatio. Eclipsis illa, quæ anno XXXI. Darii contigit, incurrit in annum CCCCXLVI. ante Julianum primum, non in CCCCXLVII. Annus erat Nabonassari CCLVII. cujus Thoth cœpit XXIV. Decembris, feria prima, littera A, cyclo Solis XXII. Periodi Julianæ 4222. Adde menses quatuor, & dies duos, Tybi tertius cadet in XXV. Apr. feria IV. qui est quadringentesimus quadragesimus sextus ante Julianam ordinationem, non septimus. Thoth ergo Nabonassarei anni CCLVII. iniit anno exeunte CCCCXLVII. ante Julianam ordinationem, quo Numerus aureus IV. Dionysianus, Juliani verò Kalendarii, quod ex Forosempronienſi, & Gaurico lib. VI. cap. XIV. descripsimus, fuit X. At eclipsis ista lunaris accidit anno illo, qui est CCCCXLVI. ante Julianam editionem, Numero aureo Nicæno V. Juliano XI. In Romano Kalendario Nicæno aureus numerus V. ad Aprilis VII. adscriptus est: in Juliano verò Gaurici, numerus XI. ad IX. Apr. Ab anno Per. Jul. 4223. ad Julianum primum, qui est Per. Jul. 4669. intervallum annorum CCCCXLVI. quo Lunæ περίοδος ad sesquidiem ferè pervenit. Proinde Darii sæculo Neomenia congruebat Aprilis XI. decima quinta dies Aprilis XXV. Rursùs ab eodem anno 4223. ad Nicænum annum intervallum annorum 814. quo nondum tridui περίοδος collecta. Ergo numerus aureus Nicænus V. Aprilis X. ferè congruebat, vel XI. potiùs Christmanni hallucinatio, quod ad Enneadecaëteridem, & Julianos annos spectat, in eo versatur, quod ad annum illum dumtaxat Julianum respexerit, in quem Nabonassarei anni Thoth incidebat. Ideo numerum aureum Julianum X. qui anno illi Per. Jul. 4222. cujus in fine Thoth iniit, tribuitur, in sequentem transtulit, qui est Per. Jul. 4223. Huic autem aureus numerus Julianus XI. competit; quandoquidem anno 4212. quo prior eclipsis contigit, quique CCCCLVII. ante ordinationem Julianam à Christmanno numeratur, aureus numerus Julianus assignatus est XIX. Hinc enim consequens est, annum 4223. esse CCCCXCVI. ante Julianum primum, & aureum numerum XI. sibi vendicare. Hæc adversùs falsissimam Christmanni computationem paullò uberiùs explanavimus, ne præstantissimarum observationum, quæ inter Chronologica temporum illorum munimenta præcipuum locum obtinent, fides vacillaret. Quòd si quis eclipseon illarum descriptionem desideret, eam apud Buntinghum è Tabulis Prutenicis accuratissimè confectam reperiet, ad annos mundi 3467. & 3478.

Ex iis immota consistit epocha Darii in anno Per. Jul. 4193. cui & Eusebius suffragatur in Chronico; ubi Darii primordium ad annum IV. Olymp. LXIV. posuit, & lib. X. de Præparat. pag. 283. Δαρεῖος μὲν ᾧ, inquit, τὸ δεύτερον τῷ τέτταρον ἔτει τῶ ξε' Ὀλυμπάδος κατέστη. *Darii quippe secundus annus in annum primum incurrit Olymp.* LXV. Rectiùs itaque Scaliger in lib. V. de Emend. annum Per. Jul. 4193. Darii addixit epochæ, quàm lib. II. Isag. Can. pag. 133. annum 4192.

CAPUT XX.

De anno primo Romanorum Coss. & Regifugii. Refelluntur quæ à Scaligero de anno illo disputata.

VARRONIANORUM, inquit, *& Catonianorum Palilium discrimen est annus unus. Varro enim in eundem Lunæ cyclum conditum Urbis, & obitum Romuli confert; hoc est in cyclum novum. Nam à primis Palilibus Varronis, & L. Tarrutii Firmani ad defectionem Solis qua Romulus è medio sublatus, sunt cycli duo præcisi, & mensis unus. Regnavit ergo Romulus annos Julianos* XXXVIII. *præcisè, & mensem* I. *qui erunt Catoni anni* XXXVII. *Hinc colligitur, quare à primis Palilibus ad Reges exactos alii annos ponunt* CCXLIV. *alii totidem uno minùs: nimirum quia alii Varronem, alii Catonem sequuntur.* Quod Catoniana Palilia vocat ea, quæ uno anno tardiùs, quàm à Varrone definitum est, Urbis conditum designant, ut eadem sint cum Capitolinis, libro superiore cap. XLVI. id abundè confutavimus. Fruſtra enim Catonem opinionis illius auctorem facit, quod nullis indiciis, & argumentis potest colligi. Vide quæ illic uberrimè contra Scaligerum super ea re disseruimus. Hoc verò loco multùm aberrat, dum diversæ illius computationis in

in annis Regum Romanorum, quarum altera alteram uno anno superat, refert in annum ultimum Romuli: quem qui tricesimum octavum numerant, ducentos quadraginta quatuor annos asserit à Palilibus primis ad exactos Reges definire; qui autem tricesimum septimum esse volunt, CCXLIII. quod est falsissimum. Dionysius quippe lib. II. Romulum nonnisi XXXVII. annis regnasse scribit; & annos nihilominus Regibus imputat CCXLIV. Livius quoque non plures assignat Romulo; & tamen in fine L. I. *Regnatum* (inquit) *Romæ ab Urbe condita ad liberatam in annos* CCXLIV. Contrà Eusebius in Chronico annos Romulo XXXVIII. tribuit; qui ab Urbe condita ad Regifugium annos putat CCXLV. solidos. Nam Romuli primordium adscribit anno Abraami MCCLXV. primos verò Coss. anno MDLXV. Adeo falsa ratio est illa Scaligeri inde factum asseverantis, ut à quibusdam intervallum ab initio Romuli ad Regifugium annis CCXLIV. circumscriptum sit, quòd triginta octo Romulo annos imputaverint. quasi non potuerit in consequentium Regum temporibus discrimen illud anni unius intercedere. Perinde est & illa falsa collectio; *secundùm Catoniana Palilia, quæ in annum Iphiti* XXIV. *Natalem Urbis conferunt, necessariò ad primos Coss. annos interesse* CCXLIII. Etenim Dionysius, eúmque imitatus Eusebius, anno etiam uno tardiùs, quàm Cato, sive potiùs Verrius Flaccus, conditum Urbis assignant: quorum alter CCXLIV. alter CCXLV. annos intervallo huic arrogat.

Pergit Scaliger; &, *Longè*, inquit, *discedunt à rationibus Varronis Polybius, & Dionysius. Polybius ait* Μάβεωσιν Ξέρξου *esse posteriorem funere Bruti, & Regifugio annis* XXVIII. *vertentibus; qui de* CCXCVII. *annis Iphiti, quæ est epocha* Μαβέσεως *deducti relinquunt annos* CCLXIX. *epochen Consulatus Bruti, & Regifugii. Dionysius scribit Bruti funus, qui in magistratu obiit, posterius esse pugna Marathonia annis* XVI. *Pugna Marathonia incidit in annum Iphiti* CCLXXXV. *Deductis* XVI. *relinquitur epocha Regifugii annus* CCLXIX. *Iphiti secundùm Dionysium. Itaque biennio uterque seriùs ponit, quàm Varro: & ratio est, quia Romam volunt conditam anno primo Olympiadis septimæ, duobus mensibus ante ineuntem annum secundum ejusdem Olympiadis* VII. *Itaque juxta hæc, annus Regifugii fuerit* 4207. *Periodi Julianæ.* Hæc sunt multis adspersa maculis. Dionysius Reges ait expulsos Ὀλυμπάδος ὀγδόης, καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, ineunte Olymp. LXVIII. Hic est annus Periodi Julianæ 4206. Nos libro superiore cap. XLVII. Dionysium ostendimus, quod & Scaligero videtur, aliud pronunciare, aliud probationibus efficere: ac revera conditum Urbis in annum conferre quartum exeuntem Olymp. VI. hoc est Iphiti XXIV. ita ut XXV. primus sit annorum illorum CCXLIV. quos ad Regifugium numerat. Additis ergo ad XXIV. absolutos annis CCXLIV. fiunt Iphiti anni CCLXVIII. quorum postremus desinit in annum Periodi Julianæ 4206. quo Reges secundùm Dionysium exacti. De Marathonia pugna suo loco dicendum erit. Polybius denique ab hac epocha minimè dissentit. Xerxis enim Μάβεωσις incidit in annum Periodi Julianæ 4234. verno tempore. Si igitur de annis 4333. absolutis, deducas annos XXVIII. relinquentur anni 4305. Ita primi Coss. secundùm Polybium, ac Dionysium cadent in annum 4206. & uno tantùm anno à Varronis epocha deerrabunt.

CAPUT XX.

De Fragmento Paschalis magni, quod ex Joanne Cuspiniano producit Scaliger, déque absurda ejusdem super eo conflictatione.

JOANNES Cuspinianus in Commentario de Coss. Rom. ad annum Urbis conditæ CCXVIII. ex Fastis veteris cujusdam auctoris, qui sola Coss. nomina ab exactis Regibus ad Gotthorum tempora perscripserat, septem paria Coss. describit. Ejusmodi autem cùm hæc ipsa, tum cetera omnia fuisse refert, ut per quaterna disponerentur: ita ut quartum quodque par Coss. miniatis litteris exaratum lustrum Julianum distinguereт. Ad Consules adscripta erant Planetarum nomina, cum quibusdam numeris, quos neque intelligere ipse potuit, neque qui intelligeret ullum reperit. Septem illorum Consulatuum exemplum subjecimus.

E vetustissimis Fastis, quos penes se Joannes Cuspinianus habuit.		Characteres emend. à Sc.	
Bruto & Collatino.	Luna XXIX	V	BA
Publicola, & Tricipitino.	Mart. X	VI	G
Publicola III. & Pulvillo.	Merc. XXI	VII	F
Ruffo, & Aquilino.	Jov. II. Rub.	VIII	E
Valerio, & Tuberto.	Sat. XIII	IX	DC
Publicola IV. & Tricipitino.	Sol. XXIV	X	B
Tuberto II. & Lanato.	Ven. V	XI	A

Scaliger Planetarum nomina ferias esse Kalendarum Jan. numeros autem, epactas Paschales animadvertit. Exempli causâ, anno primo Coss. Kalend. Jan. auctor ille credidit feria II. cœpisse, & epactas fuisse XXIX. sequenti anno, Kal. easdem iniisse feria III. & epactam fuisse X. &c. Sed hallucinatum Scaliger eumdem Scriptorem esse docet; quòd anno illo, quo primi Coss. magistratum ceperunt, Kalendas Januarii incidere putavit in feriam II. quasi cyclus esset Solis VI. cujus littera est G. cùm re ipsa quintus esset, & litteræ BA. Ideo ad Laterculi latus characteres Kalendarum apposuit Scaliger, convenientes anno Periodi Julianæ 4205. qui est verus annus Regifugii, & reliquis deinde consequentibus. Tum nonnullis interjectis ex auctoris illius opinione statuit, Regifugium anno 4207. Periodi Julianæ contigisse, cyclo Solis VII. Lunæ VIII. quo epactæ Paschales sunt XXVIII. lunares autem XXIX. Itaque in nota feriæ errorem irrepsisse conjecit, ut non LUNA, sed SATURNUS ponendum sit. *Neque verò*, inquit, *dubitandum est, eam mentem fuisse illius auctoris, qui Paschale condidit. In feria enim potiùs quàm in epactis erratum esse videtur. Cyclo igitur Paschali* VIII. *epactæ Paschales sunt* XXVIII. *addita unitate epacta lunaris erit* XXIX. *anno sequenti epacta Paschalis* IX. *lunaris* X. *quia sæculo Justiniani* XIV. *Paschalis erat quintadecima lunaris, ut toties à nobis dictum, & ab ipso Dionysio Exiguo notatum. Igitur Auctor Paschalis sequitur Dionysium, & Polybium. Sed graviter peccat, idque biennio, ut diximus.* Hæc Scaliger. Sed in paucis istis haud parva peccantur. Primùm annum Regifugii ab auctore Paschalis asserit ex Polybii mente constitutum in anno Per. Jul. 4207. & Saturnum, hoc est Feriam VII. pro secunda reponendum videri. Atqui cyclus Solis anno 4207. fuit VII. littera F. unde Kal. Jan. feria III. sive Martis die, non secunda, hoc est Lunæ contigerint. Deinde quanta in epactis turbatio! Ejusmodi est ea quidem, ut me vel ista confutare suppudeat. Anno 4207. cyclus erat Lunæ VIII. ergo epactæ Paschales, inquit, XXVIII. Quid alienius? Non animadvertit, ex usu Dionysii Exigui, Bedæ, ac veterum Computi magistrorum, cyclum Paschalem non à Kal. Jan. sed à Paschali mense initium sumere, indidémque & Paschales epactas exordiri; quod Beda clarissimè passim explicat, nósque antea sæpè monstravimus. Ergo anno Per. Jul. 4207. Januario mense sunt

De epactarum ordinatione vide quæ libro VI. cap. XXII. dicta